This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

…TOME
…MM…NTARIORUM
…YS…S ARMENI,
DE
ORIG…E & REGIBUS
ARMENORUM
ET
PARTHORUM,
ITEM
SERIES PRINCIPUM
IBERIÆ
ET
GEORGIÆ,
…M NOTIS & OBSERVATIONIBUS
…ENRICI BRENNERI,
Acceſſit ejusdem EPISTOLA
Ad plur. reverend. & celeberrim.
D… ERICUM BENZELIUM
DE PRÆSENTI STATU QUARUNDAM
GENTIUM ORIENTALIUM.

STOCKHOLMIÆ,
Typis ac impenſis JOH. LAURENT. HORRN,
Reg. Antiq. Arch. Typogr. Anno MDCCXXIII.

Digitized by Google

Exemplaret häraf uppå Tryck=Papper / förſäljes för 1. Daler Silfwerm. Men uppå Skrif=Papper / för 1. Daler och 6. Öre Silfwer=mynt.

Digitized by Google

B. L.

INitio non conſtitueram hæc qualiacunque in publicum dare, antequam recuperaſſem cetera mihi inter diuturnæ captivitatis ſqualores amiſſa. Sed mecum cogitans inſtabiles rerum vices, malui, dum liceret, edere quæ nunc non niſi ab interprete ad manus habui, quam plura exſpectando etiam hæc diutius premere. Forte aliqua invenies, quæ applauſum merebuntur; & plura, quæ ceu paradoxa aſpernaberis. Verum ſuſpende judicium Tuum, usque dum ſingula excuſſeris; interim propoſitum meum, quæſo, ne damnes. Mihi ſufficit hæc in lucem bona fide protraxiſſe, & fucum tibi non feciſſe. Id doleo, characteribus Armenis & Georgianis, quibus cer-

Digitized by Google

certe multo clarius quædam nomina propria virorum locorumque explicare potuiſſem, officinas noſtras typographicas deſtitui. Notæ, quas addidi, tumultuariæ ſunt, fateor, & breves. Sed illas etiam æqui bonique conſule, & doctiores copioſioresque aliàs exſpecta. Si Tibi hæc placere intellexero, animum mibi addes edendi ipſos MOSIS *hujus* ARMENI *commentarios integros, & præterea ejusdem* GEOGRAPHICAM ASIÆ DESCRIPTIONEM; *adhæc librum Perſicum Anonym.* DE REGIONIBUS ET URBIBUS ORIENTALIBUS. *Vale.*

Tui Studioſiſſimus

HENR. BRENNER.

BRE-

BREVE
COMMENTARIOLUM
DE
ORIGINE NATIONIS ARMENORUM ET EORUM PARTHORUMQUE REGIBUS.

Ex Commentariis *Moyſis* Grammatici, inter Armenos Doctoris Celeberrimi, qui circa Annum Domini noſtri JEſu Chriſti 430. floruit, breviori ſtylo compoſitum per fratrem *Johannem Bartholomæum* a Sancto Hyacintho Italum Longobardum Ordinis Prædicatorum, Inſtante Clariſſimo Eruditiſſimoque Viro Domino *Henrico Brennero* Sueco.

*** *** ***

ACturus Doctor Moyſes de prima Armenorum Origine a *Japhet* Noæ filio, per Haigum ejus abnepotem propagatorum, præmittit Noæ Trium filiorum generationes hoc modo, videlicet:

Digitized by Google

1. *Sem fil.* Noæ.	1. *Cham fil.* Noæ.	1. *Japhet fil.* Noæ.
2. Arphaxad.	2. Chus.	2. Gomer.
3. Cainan.	3. Mieſtraim.	3. Thiras.
4. Sale.	4. Nimbrot.	4. Thogorma.
5. Heber.	5. Bab.	5. Haik.
6. Phaleg.	6. Anieb.	6. Armeniaces.
7. Ragu.	7. Arbel.	7. Aramæus.
8. Sarug.	8. Caiat.	8. Amaſias.
9. Nakor.	9. Abel.	9. Ghielam.
10. Thara; qui genuit Abraham.	10. Ninus, qui genuit Ninyan.	10. Harma, qui genuit Aram, ex quo natus eſt Aræus pulcher.

Quare autem Chus & Mieſtraim hic tanquam Pater & filius apponantur, quos tamen Scriptura Sacra, ut fratres germanos nominare videtur, ſicut & Gomer & Thiras filios Japheti, hujus rei ratio nulla a Moſe aſſignatur; ſed quoad reliquos affert teſtimonium ſuppreſſo nomine cujuſdam Aſſirii, nec non Abydeni dicentis: Ninum eſſe filium Abeli, filii Cajati, filii Arbeli, filii Aniebi, filii Babi, filii Beli, quem eundem eſſe ac Nimrod omnes conſentiunt; nec non aſſerentis Aræum Pulchrum eſſe filium Arami, filii Harmii, filii Gelami, filii Amaſiæ, filii Aramæi, filii Armeniacis. Quod vero nonnulli aſſerunt: *Ninum* eundem eſſe ac *Belum* vel ejus filium, id prorſus a veritate alienum videtur, cum nec annorum computus, nec generationum ſeries huic aſſertioni queat adaptari; Siquidem Abraham, qui undecim generationibus diſtat a Noë, erat coætaneus Nini; Aram autem, qui & ipſe a Noe diſtat decem vel undecim generationibus, eratque contemporaneus Abrahami, cœpit regnare in Armenia, antequam Ninus regnaret in Ninive; Belus vero ab Haiko Arami Abavo in prælio occiſus eſt, ut clarius infra dicetur.

Antequam vero ad Armenorum originem propius indagandam accedamus, libet de generatione *Semi* adnotare, quod adhuc temporibus Doctoris Moyſis conſtans inter Philoſophos vigeret traditio: quod poſt navigationem *Kſiſotorei* (h. e. Noæ) ad Armenos unus ex ejus filiis nomine *Sem* inter Occidentem & Septentrionem procedens, incidit in planitiem quandam verſus

ſus Aſſirios non ita amplum: quam montemque proximum ſuo nomine vocavit *Sim*, relictoque ibi uno ex ſuis minoribus natu filiis nomine *Darpan*, qui eam provinciam appellavit *Taren*: ipſe retrogrediens habitavit inter vel prope Bactrianos; ubi cum brevi tempore moram duxiſſet, inde abiit relicto ibidem alio ex ſuis filiis. Quoniam vero in Oriente, quem alii vocant Sem, illic dicunt *Servam*, propterea & eam regionem ferunt hactenus vocari *Servam*. Ita refert Doctor Moyſes, ſed de his ſatis.

Agamus modo de Armenorum Origine; Circa quam volens Doctor Moyſes oſtendere ſe non falſa nec fabuloſa, ſed potius ex Authenticis documentis extracta ſcribere, narrat: quomodo Magnus *Arſaces* hujus nominis Secundus Rex Parthorum, & ipſe natione *Parthus* Arſacis Primi ex filio nepos, germanum ſuum fratrem *Valarſacem* conſtituit Regem Armenorum, cujus regia civitas fuit *Mezbin*. Hic itaque poſtquam fuit firmatus in regno, ſcire peroptabat quinam & unde ante ipſum in Armenia principatum geſſiſſent; propterea hominem quendam Aſſirium, *Maribam Catineum* nuncupatum; Virum ſane Eruditum in litteris Græcis & Chaldaicis miſit ad Arſacem fratrem ſuum Regem Parthorum data ad eum Epiſtola tenoris, qui ſequitur.

„ Arſaci Regi terræ & maris, cujus figura & perſona ſicut noſtrorum Deorum eſt: fortuna autem & proſperitas ſuper omnes Reges terræ; Mentis vero amplitudo ſicut cœlum ſuper terram ſe extendit. Valarſaces tuus minor frater & commilito, per gratiam tuam Armenorum Rex, ſalutem & victoriæ proſperitatem. Quoniam a te in mandatis acceperam virtuti & ſapientiæ graviter incumbere; tua admonitione haud neglecta, ſed in pretio habita, eis, quantum mens & vires ſuppetebant, ſtudere adlaboravi. Nunc ergo per tuam benignam providentiam firmatus in regno, propoſui in corde meo, ut ſcirem, quinam hucuſque inter Armenos regnarint; undeque proceſſerint; qui hodie ibidem extent principatus Nullum ſiquidem reperitur hic monumentum, unde agnoſci valeat: quis ordo; quis delubrorum cultus ibi fuerit; quis primo, quisve ultimo dominatus ſit; quæve tandem viguerit hic forma regiminis, ſed omnia prorſus ſilveſtrium, na-

„ nationum more confuſione & obſcuritate ſunt plena. Quo-
„ circa jubeat quæſo dominatio tua coram Viro iſto tua Archi-
„ va Regalia aperiri, quem idcirco ad potentiſſimam Domina-
„ tionam tuam ablegavi, ut quam citius, quæ juxta fratris &
„ filii tui optata repererit, certam de iis relationem ad me
„ adferat. Pro hac autem mea ex bono animo naſcente cupi-
„ ditate mihi certe ſuadeo te fore gaviſurum. Vale Sereniſſi-
„ me, qui habitas in medio Deorum.

Perlecta epiſtola, haud parum de ſui Germani ſtudiis gaviſus Arſaces, confeſtim juſſit aperiri Archivum Regium in Civitate *Ninive*, omnibusque monumentis pervolutis, inventum eſt volumen quoddam, cujus talis erat inſcriptio: *Hic liber mandato Alexandri e Chaldaica in Græcam linguam translatus, antiquorum & Anteceſſorum geſta plane continens, quorum principium aſſeritur fuiſſe Servan, Ditan & Abedoſti* (h. e. Sem, Cham & Japhet) *In quo omnes ex trium antedictorum hominum progenie celebriores viri, in ſuis quisque locis ad plures annos recenſentur.* Ex hoc igitur volumine præfatus Mariba Catineus Armenorum duntaxat hiſtoriam Aſſirio & Græco ſermone deſcriptam detulit Mezbinum ad Regem Valarſacem, qui eam tanti æſtimavit, ut partem quandam in tabulis lapideis exſculpi mandaverit, ipſum vero librum inter res ſui theſauri pretioſiores curaverit aſſervari, addiditque idem Mariba Catineus ea, quæ ad ſua usque tempora deſiderantur.

Ex his ergo Authenticis monumentis præfatus Moyſes ſuam *de Armenorum natione deduxit hiſtoriam a diſperſione generis humani in Exſtructione turris Babilonicæ facta usque ad Valarſacem primum ex Arſacidarum familia Regem Armeniæ.* Reliqua autem ex probatiſſimis autoribus Græcis & aliis authenticis documentis repertis in Archivo *Edeſſe*, quo illa Abagarus Rex Armenorum ex Armenia transtulerat.

Itaque cum homines maxima ducti ambitione de Babilonica turri conſtruenda conſilium iniiſſent, jamque operi haud ignaviter pari conſenſu vacarent: Ecce! terribilium ventorum ab irato Numine immiſſorum impetus opus diſſolvit, divinitusque etiam multiplicatis linguis, coacti ſunt homines ab invicem ſeparari, & per univerſam faciem terræ diſpergi. Ex iis autem, qui inde cum ſua familia abierunt, unus fuit *Haikus* filius

Digitized by Google

lius *Thogorma*, Armenice dicti *Turkom*, nepotis Japheti. Hic ſane Haikus, a tyrannide Beli ſe eripiens, abiit ad Septentrionalem plagam in terram Ararat cum filiis & nepotibus viris bellicoſis numero trecentis, ac plurimis aliis, qui ſibi fuerant adjuncti, habitavitque ad pedem cujusdam montis, ſubque ſuam poteſtatem nonnullos illius regionis incolas ſubegit, conſtructisque illic ad habitandum oppidis reliquit ea nepoti ſuo filio Armeniacis, cui nomen erat *Cadimius*; ipſe autem cum reliquis ulterius inter Septentrionem & occidentem procedens fixit ſedem ſuam in loco montuoſo quem appellavit *Harck*, quod latine interpretatur *Patres*; de qua hiſtoria in meridionali parte illius provinciæ adhuc tempore Doctoris Moyſis perſeverabat traditio. Belus ergo propter defectionem & abſceſſum Haiki valde commotus, ſemel atque iterum mittit nuncios, ut eum in ſuam ditionem revocarent, ſed re infecta cum rediiſſent nuncii, Belus furore percitus magno collecto exercitu progrediebatur contra ipſos ad locum, quem Cadimius incolebat, qui timore perculſus non valens ei reſiſtere, abiit quam primum ad Haikum avum ſuum: Hic congregatis illico filiis & nepotibus aliisque viris bellicoſis, proceſſit obviam Belo, opportunumque nactus locum & tempus, quo videlicet Belus a majori ſui exercitus parte digreſſus, ulterius cum ſelectiſſimis viris proceſſerat; commiſſo prælio, plures ex illis deſiderati ſunt, ipſo Belo imprimis peremto; quo audito reliqui animo plane decidentes huc illucque omnes diſperſi ſunt. In loco ipſo certaminis ædificavit Haikus civitatem, quam ſuo nomine appellavit *Haik* (mutatis literis) quaſi *Hay*, illamque provinciam vocavit *vallem Hajorum*; Et inde usque in hodiernum diem Armeni ſuo ipſorum idiomate ſe ipſos appellant *Hajos*. Ipſum vero locum ubi cecidit Belus vocaverunt *Sepulcra*, quæ nomenclatura temporibus Doctoris Moyſis perdurabat; at caput Beli aſportavit Haikus in ſuam terram, quam diximus ab ipſo fuiſſe appellatam Haik, ibidemque depoſuit in perpetuum victoriæ monumentum filiis filiorum ſuorum.

Defuncto Haiko totius nationis Princeps remanſit ejus filius *Armeniaces*, qui duos fratres ſuos *Korum* & *Manauazum*, filiumque Manauazi dictum *Bazum* reliquit in Harck, ipſe vero cum reliquis abivit ad aliam provinciam valde montoſam, & mon-

montem quidem nuncupavit *Arakaz*, hoc eſt *feſtivum*; regionem vero pedem Arakazi. *Korus* vero in parte Septentrionali habitavit, ex ipſo dicitur progenita Korkorenſium proſapia, quæ temporibus Doctoris Moyſis erat celeberrima.

Armeniaci ſucceſſit ejus filius *Armaus*, qui habitavit prope celebrem quendam fluvium & provinciam, quam quidem ſuo nomine vocavit *Armavir*, flumen autem ex nomine nepotis ſui *Erasti* appellavit *Eraſck*, qui & a Latinis eadem ferme nomenclatura ſervata denominatur *Araxes*. Inde filium ſuum *Sarram* dimiſit ad planitiem quandam a tergo præfati montis Arakazi ſitam, quam a ſuo nomine vocavit *Sirac*.

Armæo ſucceſſit ejus filius *Amaſias*. Hic abiens ultra fluvium Araxim ad altiſſimum montem, ædificavit ibi habitationes ad orientalem & occidentalem plagam illius, ipſumque montem vocavit ſuo nomine *Maſis*: Eſt hæc pars altiſſima celeberrimi montis Ararat, quam usque hodie Armeni vocant præfato nomine Maſſis. Illic demiſſis duobus ex ſuis filiis *Parraka* & *Zulak*, qui ab ipſis ſuis nominibus vocarunt prædictas habitationes, ipſe rediit in Armavir, ubi & mortuus eſt.

Huic ſucceſſit ejus filius *Ghielam*, qui relicto in Armavir primogenito ſuo *Harma*, ipſe cum reliquis filiis alio transmigravit inter Orientem & Septentrionem ad oram cujusdam lacus ſive parvi maris, quod ſicut & regionem vocavit *Ghielakuni*, montem vero Ghiel. Hic genuit filium *Siſak* Principem celeberrimum, cui in hæreditatem obvenit tractus terræ, quæ a dicto mari per planitiem extenditur, ubi Araxes montes ſaxeos dividens per anguſta, rapida & pavenda loca præceps irruit in campum. Hanc provinciam vocaverunt *Sicunik* uſque in hodiernum diem. Ghielamus autem inde abiens in vallem quandam munitiſſimam, ibidem ædificavit civitatem, quæ deinceps a ſuo nepote dicta eſt *Karni*. Cum autem in proximo eſſet, ut Ghielam moreretur, reliquit ſucceſſorem filium ſuum *Harma*, mandans ei ut habitaret in Armavir. Hæ ſunt itaque generationes Haiki, a quo Armeni progeniti ſunt, diviſi per cognationes & familias ſuas in prænominatas provincias, quas deinde multa prole repleverunt.

Harmæo ſucceſſit ejus filius *Aram*. Hic præ multis prædeceſſoribus ſuis fuit celeberrimus, cum gentem ſuam ab omnium ho-

Digitized by Google

hoſtium invaſionibus defendiſſet & longe lateque dilataſſet, meruit, ut ab ipſius nomine, qui prius ab Haiko dicebantur Haygi, deinde ab omnibus aliis nationibus vocarentur *Armeni*, quaſi *Arameni*; Hay nomenclatura apud ipſos duntaxat Armenos usque hodie perdurante. Cœpit is regnare antequam Ninus dominaretur Aſſiriis; Cumque ab Orientalibus & Meridionalibus populis jam tutam reddidiſſet regionem ſuam, ipſe in Cappadociam progrediens pugnaturus obviam habuit *Pajapem Calèum*, Virum de ſtirpe Chami, qui tirannidem ſuam exercebat a Mari Pontico usque ad Oceanum, quem profligatum coëgit Aram fugere in Inſulam quandam maris Aſiatici. Reliquit deinde ad cuſtodiam regionis quendam Armenum Ducem nomine *Miſak* cum pluribus hominum millibus, ipſe vero rediit in Armeniam mandans prius ſubactæ regionis incolis ut Armenicè diſcerent. Dux ergo, cum illic civitatem ædificaſſet, eam a ſuo nomine vocavit, quam tamen imperfecta pronunciatione dicebant *Maſak*, quæ multa poſt tempora a Cæſare dicta eſt *Caſaréa*. Illam provinciam Græci vocarunt *Protoſon Armeniam*, hoc eſt primam Armeniam; Cum autem excurrerent in alias regiones tunc pene deſertas, *Secundam*, *tertiam* & *quartam* vocabant Armeniam, quas tamen *Latini* dividunt *in Majorem* & *Minorem*.

Cum Ninus autem Aſſiriorum Imperio potitus eſſet, in memoria habens, quæ de Beli occiſione ab Haiki viris patrata audiverat vel in Commentariis legerat, animo ſemper revolvebat, quomodo ultionem caperet; verum tempori inſerviens, & videns Aramum nimium valere; ſatius exiſtimavit eſſe diſſimulandum. Ipſum ergo confirmavit in regno, mandans, ut ſicut antea conſueverat, abſoluta poteſtate imperaret ſuis, eſſetque ſibi in regno Secundus. Narratur autem de Nino, quod propter maximam animi ambitionem volens poſteris apparere primus & unicus, qui hactenus potentia ac dominatione polleret; quotquot invenire potuit Commentaria rerum a ſuis Anteceſſoribus geſtarum combuſſit, juſſitque ut de nullo, præterquam ſe ipſo, quis ſcribere auderet.

Mortuus eſt *Aram* noviſſimis Imperii Nini temporibus, & Succeſſorem habuit *Araum pulchrum*, filium ſuum, qui in eadem, qua Pater potiebatur poteſtate, confirmatus eſt, inde pau-

Digitized by Google

paucos poſt annos Ninus Imperio dejectus eſt; quem nonnulli ferunt mortuum in urbe Ninive, ibique a Semiramide ejus ſepulturam honorifice curatam. Verum non ſic ſe res habet; Ninus enim intellectis impudicis & vagis Semiramidis amoribus ejusque malignis inclinationibus, coactus eſt dimiſſo regno fugitivus abire in Inſulam Cretam, ubi & diem obiit.

Percrebuerat jam ad Semiramidis aures ſingularis *Arai* pulchritudinis fama, quem cum adhuc abſentem illa plane deperiret, ſemel atque iterum eum per legatos Ninivem vocavit, optione data, ut vel eam legitimam uxorem haberet, ac toti Aſſiriorum Imperio dominaretur, vel ut expleta effreni ejus libidine, liberam cum immenſis muneribus ad ſuos revertendi haberet facultatem. Cui cum Aræus non acquieviſſet, Illa inſani furore percita, magno habito militum delectu adverſus eum progreſſa eſt, non tam repudii crimen ultura, quam Inſatiabilem exſaturatura libidinem cum eo: unde prælium initura, juſſit eum vivum comprehendi. Verum cum terga vertiſſent Armeni, plerique ex iis deſiderati ſunt, inter quos & ipſe Aræus. Poſthæc manſit Semiramis in provincia Ararat multis diebus (dicta eſt autem provincia *Ararat* ab ipſo *Arao*) progrediens dein ad montana auſtralis partis, advertit terram delicioſiſſimam & ſolum fertiliſſimum; Poſt ad ripam parvuli maris accedens, capta amœnitate loci, & aëris temperamento, illic hortos, palatia & civitatem, pro æſtivo tempore exſtruxit, ubi deinceps annis ſingulis per aliquot menſes ad animi & corporis oblectamentum impudicitiis vacans, Reginâ prorſus indignam ducebat vitam. Conſueverat autem tunc ſuas vices ſuper Niniven & totum Aſſiriorum Imperium delegare cuidam Mago Medorum Principi, Armenice nuncupato *Zerataſt*, quem eum eſſe exiſtimo, qui a Latinis dicitur *Zoroaſtres*, cum quo Ninum bellaſſe fertur. Cumque illum plurium annorum ſpatio fideliſſimum experta eſſet, credidit ei plenam Imperii adminiſtrationem. Interim illa libidini magis magisque indulgens, cum aliquando a filiis ſuis redargueretur, eos omnes occidi juſſit, adoleſcentiori excepto, cui nomen erat *Ninyas Zares*. Orto autem bello civili (quod Zoroaſtres cuperet abſolutus fieri Aſſiriorum Imperator): coacta eſt fugere Semiramis ad Armenos, ubi Ninyas opportunitate ha-

Digitized by Google

habita eam occidit ipſeque imperavit. Sic Semiramidem obiiſſe narrat Doctor Moyſes, rejectis, quæ a nonnullis aliis narrantur, de ejus bello adverſus Indos. Sed redeundum ad rem noſtram. Poſt occiſum Aræum pulchrum, ejus filius itidem *Aræus* nuncupatus tunc duodecennis a Semiramide Armenis præfectus eſt, cumque una cum illa contra Zoroaſtrem pugnaret, in prælio occiſus eſt.

Inde usque ad *Barurium*, qui vixit temporibus Sardanapali, primusque inter Armenos nomine & honore regio decoratus eſt, nihil præter Armenorum Principum nomina refert Doctor Moyſes, quorum ſequentem Catalogum texit.

11. Aram
12. Aræus pulcher
13. Aræus
14. Anuſavanus
15. Pharedus
16. Arbaces
17. Zauanus
18. Parnaſus
19. Surus
20. Hauanaces
21. Vaſtaces
22. Haiacaces
23. Ambares
24. Arnaces
25. Sauerſius
26. Norarius
27. Goraces
28. Heranes
29. Enzacus
30. Delaces
31. Horius
32. Zarmærus *
33. Bergius
34. Arboni
35. Bazucus
36. Hous
37. Uſaces
38. Caibaces
39. Sicæ filius nuncupatus Barurius.

* qui una cum Æthiopum exercitu perrexit ad bellum Trojanum in auxilium Priami.

Hic Barurius circa ultima Sardanapali tempora vivebat; cumque egregiam navaſſet operam in auxilium *Varbacis* ſive *Arbacis* Medi in defectione *Sardanapali*, meruit ab eodem Arbace conſtitui abſolutus Dominus & Rex Armeniæ, ſicque a Doctore Moyſe primus ille numeratur Armeniæ Rex. Arbaces autem potitus Aſſiriæ regno, relictis in *Ninive* Gubernatoribus Imperium tranſtulit ad Medos. Hic autem difficultatem circa temporum Chronologiam non licet diſſimulare, quæ in hiſtoria Doctoris Moyſis reperitur. Ait enim, quod filii *Senacherib*, cum fugitivi occiſo parente ſe recepiſſent in Armeniam, ut Scriptura Sacra teſtatur, eis locus ad habitandum datus eſt a Sicæ filio, qui tunc dominabatur Armenis; ſane Senacherib (ut teſtatur Salianus) nonageſimo poſt Sardanapalum anno vixit, quomodo potuit jam a morte Sardanapali regnaſſe Barurius? præci-

pue cum cenſeatur multis adhuc poſt Senacheribi mortem annis vixiſſe, cum ejus filius Heracæus circa Nabuchodonoſori tempora regnaret, qui multis luſtris poſt Senacherib regnare cœpit, ut idem D. Moyſes affirmat.

Itaque poſt Barurium regnavit in Armenia filius ejus *Heracæus*, ſic dictus propter ejus igneam faciem, igneoſque mores; Nam Heracæus eſt nomen derivativum ab Armeno vocabulo, quod ſignificat *ignem*.

Fuit Heracæus contemporaneus Nebuchodonoſori, cujus temporibus Reges fuiſſe in Armenia & Media teſtatum habetur in Sacris Bibliis Jerem. cap. 51. v. 27. ubi ſic habetur, *annunciate contra illam Regibus Ararat* (hoc eſt Armeniæ) *Menni & Aſcenaz*, & num. 28. *ſanctificate contra eam gentes, Reges Mediæ, Duces ejus* &c. Refertur autem, quod cum Nebuchodonoſor e Palæſtina in Babilonem Judæos tranſtuliſſet, Heracæus Armeniæ Rex facultate a Nebuchodonoſore habita unum ex præcipuis Hebræorum Principibus in Armeniam duxit, ubi eum maximo honore habuit. Vocatur Hebræo nomine *Sciambat*, qui eſt *Sembat*, ex quo regia Bagradionenſis familia originem duxit. Attamen id exiſtimo contigiſſe, non quidem tempore Magni Nebuchodnoſoris, qui omnem Judæam tranſmigrare fecit Babilonem, ſed potius temporibus *Meroda*, qui & ipſe vocatus eſt Nebuchodonoſor, regnavitque Babylone poſt mortem Senacheribi, & paulo poſt toto Aſſiriorum Imperio potitus eſt, qui captivum duxit in Babilonem *Manaſſem* cum flore nobilitatis Judaicæ. Sic enim optime conſentiunt tempora; Si enim Barurius primus Armeniæ Rex regnaverit tempore Senacherib, quomodo Heracæus ejus filius potuit ſuum regnum producere uſque ad Magnum Nebuchodonoſorem, qui centum & amplius annis poſt mortem Senacheribi regnare cœpit? Et præcipue ſi verum eſſet, quod Barurius jam poſt mortem Sardanapali regnare cœpiſſet; præterea à tranſmigratione Judæorum uſque ad Cyrum elapſi tantummodo ſunt ſeptuaginta anni, cum tamen in Armenia poſt prædictum Heracæum uſque ad tempora Cyri fuerint ſeptem Reges, filiis ſemper ſuis parentibus ſuccedentibus, de quibus tamen Doctor Moyſes nihil refert, niſi quod eorum Catalogum texit una cum Regibus Medorum, prout ſequitur:

Re-

Digitized by Google

Reges Armeniæ.

1. Barurhus filius Sicæ ſive Gigantis
2. Heracæus
3. Parnyas
4. Pagiugitus
5. Cornaces
6. Parus
7. Haicaces
8. Eruantes
9. Tigranes primus, qui vixit tempore Aſtyagis & Cyri.

Reges Mediæ.

1. Arbaces
2. Mandacus
2. Soſarmus
4. Aſtrucus
5. Cardiceas
6. Deioces
7. Artunes.
8. Coacſades
9. Aſtyages, cui ſucceſſit Darius Medus & Cyrus.

Hic *Tigranes* Armenorum Rex & ipſe natione Armenus pluribus ſeculis præceſſit Tigranem ſecundum itidem Armeniæ Regem in hiſtoria Romanorum Celeberrimum natione Parthum ex Arſacidarum familia prognatum; Verum hic etiam ſupra anteceſſores ſuos longe conſpicuus immortale nomen ſibi peperit, egregia animi fortitudine, in proſperis & adverſis moderatione, nec non in concupiſcentiis temperantiâ: Vivebat temporibus Aſtyagis, quem opitulante Cyro vicit; fuit etiam non parum adjumento ipſi Cyro ad transferendum regnum a Medis ad Perſas. Cyrus itaque tunc in Perſide degens, valde erat Tigrani addictus. Cum autem Aſtyages hæc non ignoraret, noctu diuque animo revolvebat, quomodo illud amicitiæ vinculum diſſolveret, maximeque ſibi a Tigrane timebat, præcipue poſt viſum ſomnium, quo ſibi prænunciabatur ab eo ſe fore ſuperandum, quod fuſiſſime refert Doctor Moyſes. Volens ergo eum dolo perdere, ut facilem ad hæc viam aperiret, cogitavit illius Sororem ſibi deſponſare, quare hanc ad Tigranem miſit Epiſtolam: “Novit amabilis fraternitas tua, nihil in hac a Diis donata vita eſſe utilius, quam amicorum multitudo, & horum quidem ſapientia & virtute præditorum; quoniam tunc exteriores turbationes vel non inſurgunt, vel inſurgentes quam citius repelluntur; Interius vero neutiquam malitiæ aditus eſt apertus. Hanc ami-

„ citiæ utilitatem cum ego animadverterem, cogitavi firmum „ & ſtabile amicitiæ vinculum inter nos ſtabilire, ut undique „ munitum, integrum & immobile ſemper ſit noſtrum Do- „ minium. Id autem erit ſi magnæ Armeniæ Principiſſam „ Tigranam Sororem tuam in matrimonium mihi dederis. Cui „ rei ſi conſenſeris, ſcias illam inter omnes Reginas Reginam „ eſſe futuram. Vale, ſodalis mi & dilecte frater.

Audito hoc nuncio, nihil mali Tigranes ſuſpicans Sororem ſuam Tigranam Aſtyagi dedit in uxorem, quam propter ſingularem pulchritudinem ac prudentiam, primam inter omnes uxores ſuas & concubinas conſtituit, omniaque ejus conſilio agebat. Tandem illo inſidias, quas fratri ejus moliri aggrediebatur, ei aperiente, iſta continuò per fidos nuncios Tigrani omnia ſignificavit. Ille ergo quam primum potuit, magno & potentiſſimo exercitu ſelectorum virorum ex Macedonia, Albania, Armenia Majori & Georgia collecto, proceſſit adverſus Medos, qui magno numero obviam ei facti ſunt, Duce eorum ipſomet Aſtyage; Prælio inito pugna multo tempore dubia fuit, tandem victoria cecidit Tigrani, qui lancea ſua Aſtyagem ipſum confodit. Hæc ſane urgente Cyro peracta ſunt, qui Medorum & Perſarum Rex factus a Medis regnum tranſtulit ad Perſas; ut omnia fuſiſſime pertractat Doctor Moyſes.

Tigrani ſucceſſit ejus filius *Babus Tiran Vabak*, de quo ſimilia feruntur, quæ de Hercule, cujus noviſſimus filius fuit quidam *Arauan*, de cujus ſtirpe fuit tandem quidam *Vahe*, qui ab Alexandro Macedone occiſus eſt. Inde uſque ad tempora Arſacis Magni Parthorum Regis, qui fratrem ſuum Valarſacem conſtituit Regem Armeniæ, Armenorum res ſunt penitus obſcuræ.

Quoniam igitur, qui deinceps in Armenia regnarunt, a Parthorum Regibus originem & regnum habuerunt, aliqua de Parthorum natione eorumque Regibus dicenda ſunt. In Sacra Scriptura habetur Abrahamum poſt mortem *Saræ* accepiſſe aliam uxorem nomine *Keturam*, ex qua plures filios procreavit, quos ab Iſaaco ſeparans dimittit in partem Orientalem. Ex his ergo ait Doctor Moyſes prognatam eſſe gentem Parthorum, qui Armenice dicuntur *Partievk*, ex quibus ortus eſt

eſt *Arſaces ſtrenuus* ſane Princeps, qui excuſſo Macedonum jugo ſexaginta circiter poſt mortem Alexandri annis primus regnavit ex Parthis, ut tandem adimpleretur promiſſio facta Abrahæ Gen. 17. v. 6.

Regnavit is in civitate *Babel* ſive *Baleh* in provincia *Kuſanorum*. Audita autem celeberrima Romanorum virtutis & fortitudinis fama, qui fere toti Occidenti dominati, etiam Galatiæ regionem occupaverant, aliumque Aſiaticum Regem ſub tributo redegerant; mittit ad eos legationem, rogans: Ne Macedonibus opem ferrent; promittitque eis centum talentorum ſummam, muneris & non tributi nomine ſolvendam. Vixit in regno uno anno ſupra triginta. Poſt ipſum regnavit ſuus filius *Artaxerxes Primus* annis viginti ſex. Huic ſucceſſit ſuus filius *Arſaces Magnus*. Contra hunc, cum adveniſſet Babilonem Demetrius, filius Demetrii filii Antigoni cum Macedonum exercitu, ab eo victus eſt, & ferreis catenis vinctus, captivus ductus eſt in Parthos; Exinde incredibiliter dilatavit imperium ſuum, adeo ut toti Aſiæ videretur dominari. Habebat is fratrem unum nomine *Valarſacem*, cui tradidit regnum Armeniæ pluresque alias provincias; qui cum in regno jam firmatus eſſet, pulcherrimum ſane regiminis ordinem ſtatuit, regnumque in plures ſatrapias diviſit, præfectis ex *Haiki progenie* Principibus, vel iis, qui illius regionis incolatus diuturnitate ut naturales loci Incolæ & Principes haberentur, cujusmodi erant *Senacheribi* filiorum ſucceſſores, Aſtyagisque familiæ poſteri, ſed inprimis erat *Bagradius* ex ante dicto Sombato Hebræo deſcendens, quem ſupra diximus Barurium in Armeniam aſportaſſe. Hic *Bagradius* cum ſtrenuiſſime in prælio contra Macedones pro Valarſace ſe geſſiſſet, fuit propterea primarius regni Satrapa conſtitutus, ac perpetuis temporibus munere & jure Arſacidas coronandi donatus eſt, deinceps ex ipſo ejus familia denominata eſt Bagradionenſis, cujus quidem nomenclatura hactenus gloriati ſunt, & adhuc gloriantur *Georgiæ Reges & Principes*; fuit autem regia Valarſacis Civitas *Menbis*, in qua regnavit annos viginti duos.

Ut autem aliquod eſſet nominis diſcrimen inter Parthorum & Armenorum Reges, conſtitutum eſt, ut Parthus a Regia ſua Civitate *Baleh* diceretur *Balhavienſis*. Armenius autem,

 licet

licet ætate & poteſtate Secundus, primum retineret *Arſacidæ* nomen. Hinc cognoſcere licet, quare Reges Armeniæ dicti ſint *Arſacidæ*, quod forte apud multos hactenus ignotum eſt.

Regnavit autem Arſaces Magnus Parthorum Rex poſt ſtabilitum germanum ſuum in regno Armeniæ *tredecim annos*, Succeſſoremque habuit filium ſuum nomine *Arſacanum* annos triginta. Deinde rex fuit ejus filius *Arſaces quartus* annis triginta & uno.

Valarſaces autem primus Armeniæ Rex vixit in regno annis viginti duobus; poſt quem regnavit ejus filius *Arſaces* primus annis quatuordecim, qui parentis veſtigia ſequutus, in omnibus ſtrenuum & eximium Principem egit, niſi quod præter fas nimium vexaret Deo fidelem Bagradionenſem familiam, quod idolorum cultum amplecti recuſaret. Duo ex ipſis gladio percuſſi ſunt, plures alii, etſi veri Dei cultum & fidem non negarent, conſenſerunt tamen contra paternam Hebræorum legem ire diebus feſtis bellatum & venatum, ac filios relinquere incircumciſos. Hujus Regis temporibus in medio Caucaſo monte a Bulgarorum natione exorta eſt turbatio non modica, quare plures in Armeniam deſcendentes ibi multo tempore manſerunt.

Poſt Arſacem, qui in regno vixit quatuordecim annos, regnavit *Artaxerxes primus* anno vigeſimo quarto Arſacis tertii, ſive Arſacani Regis Parthorum & Perſarum, quem ſub ſua poteſtate ſubjicere tentavit, intra ejus ditionem civitate ædificata, cœpitque ſuam tantummodo effigiem in numiſmatibus inprimere. Conſenſit quaſi ſponte coactus Arſacanus, ceditque illi primatum, quod videret eum nimium bellicoſum; ſicque, qui antea ſuper Reges Armeniæ qualemcunque authoritatem gerebant, cœperunt eorum ſubjici poteſtati. Genuit Artaxerxes filium celeberrimum *Tigranem* hiſtoriis Romanorum, filiamque habuit nomine *Artaſanam*, quam Magno Mithridati deſpondit.

Erat *Mithridates* præcipuus Georgianorum Satrapa, ex alio quodam Mithridate originem ducens, qui poſt victum Darium fuit ab Alexandro præpoſitus captivis *Verienſibus*. Quinam vero ſint Verienſes populi, juxta Armenicam prolationem dicti *Vieriani*? Puto eos eſſe *Georgianos*; Nam ipſe Moyſes

in

Digitized by Google

in Geographia Aſiæ in deſcriptione *Veriam* id docet, & usque inde in hodiernum diem Armenice dicuntur *Virck*. Deinde Artaxerxes innumera fere multitudine militum collecta, opportunum tempus nactus, quo Romani alio intenti erant, ſubjecit omnem interduo Maria Ponticum & Jonicum ſitam regionem, cogitabatque etiam occidentem ſubjugare; verum derepente inter milites exorto tumultu, adeo ut contra ſe invicem pugnarent, ipſemet Artaxerxes in conflictu mortuus eſt, cum regnaſſet annos viginti quinque.

Poſt Artaxerxem regnavit *Tigranes*, circa annum nonum Imperii Arſacis IV. Regis Perſarum. Hic inprimis contra Græcos exercitum duxit, quod poſt mortem Artaxerxis, omni fere Aſiatica regione occupata minarentur ipſam illi Armeniam intrare. His ergo occurrens Tigranes eos penitus proſtravit; iisdemque provinciis recuperatis, eas fere omnes tradidit vel reliquit Mithridati Magno Sororio ſuo *Cæſaream* usque, tunc nuncupatam *Maſiak*; ipſe vero in Armeniam reverſus Templorum ædificationi Idolorumque cultui ſtudioſiſſime vacabat, pluribus illic ex ſubjugatis provinciis translatis Idolis, inter quæ excellebat *Jovis Olympii* Simulacrum, quod in civitate *Ani* locavit; eratque in eorum cultu adeo ſuperſtitioſus, ut nonnullos, qui non ſervatis ritibus conſuetis inter Herculis Sacerdotes ſe intruſerant, depoſuerit. Bagradionenſem familiam in veri Dei cultu perſeverantem graviſſime vexavit; Cumque uni ex iis linguam amputaſſet, reliqui metu tormentorum in ſuillæ & immolatæ carnis eſum conſenſêre; quoniam vero ad immolandum Idolis nullatenus eos adigere valuit; omni poteſtate authoritateque eos privavit, relicto tantummodo eis munere Reges coronandi. Deinde Meſopotamiam petiit, unde pretioſiſſimum ex argento, ebore & criſtallo inventum Simulacrum remiſit in oppidum ſuum *Tortan*; Ipſe in Palæſtinam profectus eſt, ubi tunc Regina Alexandra dominabatur, & haud paucis Hebræis captivis factis perrexit obſidere Ptolemaidem, ſed a præfata Regina, pluribus rebus donatus, una cum captivis feſtinavit redire in Armeniam illic exortos tumultus ſedare, qui omnino ejus poſcebant præſentiam; Hebræis autem locum ad habitandum dedit in Provincia *Armavir* prope fluvium *Kazal*.

Poſt

Poſt hæc contigit Pompejum Romanorum Ducem adverſus Mithridatem bellum gerere, eumque penitus profligatum dolo occidi curare per *Pontii Pilati* Patrem, filiumque ejus itidem Mithridatem nuncupatum in bello capere, & civitatem *Maſak* expugnare. Tigranes ergo completo luctu, quem pro morte Sororii ſui habuerat, procedebat cum magno exercitu, ut a Romanis ultionem caperet. Verum Gabinius, quem rediens Romam Pompejus illic præfici curaverat, noluit bellum; ſed occulto fœdere cum Tigrane inito, liberum ei dimiſit filium Mithridatis cum civitate Maſak, in qua eum ſub cuſtodia detinebat; ille enim Ptolomæi in regno reſtitutioni ſtudebat. Cum autem ex parte Romanorum illuc ablegatus eſſet *Craſſus*, contra eum pugnans celeberrimam victoriam reportavit, ipſomet Craſſo inter plures deſiderato. Tandem cum Tigranes non multum fideret præfato Mithridati, ac proinde nullam ei provinciam regendam traderet, imo nec illam Georgiæ partem, quæ ipſi ex hæreditate paterna debebat, ei dediſſet; ille ſeceſſione ab avunculo facta tranſiit in partes Cæſaris, qui tunc in Oriente pro Romanis agebat, ab eoque neſcio cujus provinciæ principatu obtento, ut Antipatri Herodis Patri faveret, contra Tigranem avunculum ſuum pugnavit; quo tempore civitas *Maſak* in ampliorem formam ædificata, mutato nomine *Cæſarea* a Cæſare dicta eſt; tunc Reges Armeniæ ab ejus civitatis dominatu penitus exturbati ſunt. Hunc autem Mithridatem eum eſſe puto, qui a Latinis Pergameus nuncupatur, quem referunt a Cæſare Boſphori regnum & Gallogræciæ Tetrarchiam accepiſſe. Regnabat tunc in Perſide Arſes filius Arſacis quarti & pronepos Arſacis Magni. Cum ergo Tigranes cerneret indies vires ſuas debellari, cogitavit ſibi fœdere conſanguineum ſuum præfatum Regem Perſarum jungere, quem ut magis & magis ſibi devinciret, ab eo abſtulit jugum, quod Artaxerxes Tigranis Pater Regibus Perſarum impoſuerat, iterumque ei primas conceſſit, conſenſitque eſſe illi ſecundus. Sic ab eo plures obtinuit copias auxiliares, quibus præfecit quendam ex ſuis Satrapis nomine *Bazapranum*, miſitque eas adverſus Romanos. Illis adjunctus in via eſt quidam *Pacorus* filius cujusdam Regis Siriæ vel Aſſiriæ, cum quo ſine ullo impedimento per Siriam & Palæſti-

ſinam progreſſi ſunt, quod tunc res Romanæ propter Julii Cæſaris mortem iſti maxima erant turbatione. Favebat Pacorus Antigono filio Ariſtobuli contra Hyrcanum Regem & Summum Judæorum Sacerdotem. Quapropter Bazapranus per fraudem circumvenit Hircanum, adeo ut tandem nullo prohibente intraret Hieroſolymam, ſtabiliretque in regno Antigonum, omneſque fautores Hircani perderet, uno excepto Herode, qui fuga elapſus abierat Romam; cujus frater Phaſelus alliſo ad petram capite, adhibitiſque vulneri venenatis remediis, vita exceſſerat. Hæc ut perfecit, rediit ad Tigranem Dominum ſuum, ſecum habens Hircanum auriculis mutilatum. Supervixit Tigranes duobus annis, & mortuus eſt, cum regnaſſet annis triginta tribus.

Haud multo poſt mortuus eſt *Arſes* Rex Perſarum, poſtquam regnaſſet annos viginti, cui ſucceſſit *Arſavirus* ejus filius, qui regnavit annos quadraginta ſex; & cum plures haberet filios, poſt ipſum diviſum eſt regnum Parthorum & Perſarum in plures partes, ut fuſius, ſi tempus ſupererit, ſuo loco infra dicemus.

Regnavit autem poſt Tigranem ejus filius *Artavaſtes* modico ſatis tempore: nam cum in eum irruiſſet Antonius Romanorum Dux inſtigante Cleopatra, vivum comprehenſum duxit in Ægyptum, tradiditque in manus illius impudicæ, ut odium, quod contra Tigranem conceperat, in ipſum exhauriret.

Acciderunt hæc ultimo anno regni Arſis Regis Perſarum, cujus mandato convocati Satrapæ Armeni, ſibi Regem conſtituerunt *Arſamum* fratrem Tigranis, alio nomine quandoque nuncupatum *Manovazem*, qui fuit Pater *Abgari*. Hic ergo cum nec ſolus Romanæ potentiæ reſiſtere, nec a Perſarum Rege auxilia ſperare poſſet, eò quod *Arſavirus* ſive *Arſorus*, qui Patri ſuo Arſi ſucceſſerat, adhuc eſſet parvulus, & imbellis, coactus eſt cum Romanis pacem inire; ea deteriori conditione, ut eis tributum ſolveret pro Meſopotamia & aliis circa Cæſaream terris; tuncque primo Reges Armeniæ Romanis tributa pependerunt. His temporibus in magnum vitæ diſcrimen incidit *Bzanus Bagradionenſis*, primus in Armenis Satrapa, quod gentilem ſuum *Hircanum* liberum dimiſiſſet; utque mortem ſibi

bi imminentem evaderet, coactus eſt una cum prole ſua, relicto veri Dei cultu Idolorum ſuperſtitionem amplecti.

Regnavit autem Arſamus annos viginti, eique ſucceſſit ſuus filius *Abgarus*, qui cœpit regnare anno vigeſimo Arſaviri Regis Perſarum. Dicebatur autem Abgarus ſuo proprio idiomate *Anac-Air*, id eſt primarius & præcipuus Vir, & hæc propter ejus maximam humanitatem & eximiam ſapientiam; ſed a Siris & Græcis prolatione corrupta dictus eſt *Abagan* ſive *Abgar*; ex eo forte ortum eſt, ut deinceps Meſopotamiæ Dynaſtæ denominarentur Abgari, ut refert Baronius. Hujus Regis anno ſecundo contigit deſcriptio per totum orbem mandato Cæſaris Auguſti facta, de qua mentionem habet Lucas Evangeliſta, tuncque primo tota Armenia Romanis tributaria facta eſt; ſiquidem Romanorum Commiſſarii etiam in Armeniam ablegati ſunt, qui Auguſti imaginem in eorum Templa inferrent, cenſumque exigerent, ſicque planum eſt primis hujus Regis temporibus JESUM CHRISTUM iamundo apparuiſſe. Inde plures poſt annos Imperante Tiberio Auguſto, ædificavit Abgarus in Meſopotamia Siriæ, civitatem *Edeſſ*, in eo loco, ubi quondam Armeni Euphratis tranſitum tutabantur adverſus Craſſum Ducem Romanorum, ibique ſtatuit Regalem ſedem, quæ prius erat civitas *Mezbin*, aſportatis illuc præcipuis Idolorum Simulacris, Scholarum Bibliothecis, Templorum Commentariis, & Archivo Regali.

Contigit poſt hæc mori Arſavirum ſive Arſorem Perſarum Regem, cum regnaſſet annos quadraginta ſex, quo mortuo quam maximæ turbationes & domeſtica bella ibi exorta ſunt. Habuit ſiquidem Arſavirus tres filios, nempe *Artaxerxem*, *Carenum* & *Surenum*, nec non filiam unam nomine *Ceſman*, quam deſponſaverat Generali Duci omnium Aræorum. Sunt autem *Arai* populi, ut habet idem Doctor Moyſes in ſua Geographica Aſiæ Deſcriptione, ſiti juxta Medos, Perſas & *Mare Verganum* ſive Caſpium, protenduntur que uſque ad Indos, & vocabantur ejuſdem Doctoris tempore *Kuſti Koreſſan*, quod nomen hactenus in maxima quadam Perſidis provincia perſeverat. Itaque cum mortuo Arſaviro vellet ejus primogenitus Artaxerxes regnare, ideo acerrimos expertus eſt adverſarios fratres ſuos & præfatum Sororis Virum. Abgarus ergo ut-

pote

poſt tertium conſanguineus illuc feſtinavit ire; adeoque in eorum animis ſua Sapientia & manſuetudine profecit, ut eos ad concordiam reduceret, eo pacto ut Artaxerxes eſſet Rex; duo vero reliqui fratres & ſoror, amplas, prout decebat, poſſiderent provincias, eſſentque poſt Regem præcipui illius Satrapæ, haberentque deficiente Artaxerxis prole jus ad regnum; & præterea commune nomen Regiæ familiæ retinebant, addita propria uniuscujusque nomenclatura, adeo ut filii *Caren* dicerentur *Balhavii Careni*; filii *Sureni*, *Balhavii Sureni*; filii vero *Co(sine)* *Balhavii Ducis*; quod vir ejus eſſet omnium exercituum Dux. Quod autem Perſarum & Parthorum Reges *Arſacidæ* Balhavii ſive Bahlavii nuncupati ſunt, dictum eſt ſuperius. Hoc eſt, quod Scriptores vitæ Sancti Gregorii Illuminatoris dicunt, nempe Regnum Perſarum in nimiam amplitudinem dilatatum, diviſum fuiſſe in quatuor.

Abgarus ergo hujus fœderis authenticum Documentum ſecum deferens rediit Edeſſam, contracto in Perſide peſſimo & incurabili morbo; & quam maxime laboravit, ut ſe apud Romanos innocentem probaret; ſuſpicabantur ſiquidem eum nova cogitantem perrexiſſe in Perſidem, a ſuis conſanguineis auxilium contra Romanos petiturum: Cumque ea de cauſa primarios aliquos ſuæ Curiæ Viros mitteret ad *Marinum* Pro-Conſulem; tunc contigit eos in reditu petiiſſe Hieroſolymam, ubi & *Redemptorem* & miracula, quæ indies operabatur, conſpexerunt, de quibus Dominum ſuum Regem certiorem fecerunt. Quomodo Abgarus hæc intelligens ſcripſerit ad Redemptorem noſtrum, ab eoque reſponſum acceperit, ac deinde per Thaddæum ab incurabili morbo ſanatus & baptiſatus fuerit, paſſim reperire licet apud Latinos Scriptores. Poſt quæ Thaddæus receptis ab Abgaro literis ad *Sanatrugum* ejus ex ſorore nepotem, quem in Armenia majori ſuas vices gerentem conſtituerat, illuc ad prædicandum Evangelium perrexit, ubi ipſummet Sanatrugum & ejus filiam nomine *Sanduht* h. e. Scala, convertit ad fidem.

Scripſit autem Abgarus plures alias ad diverſos Principes Epiſtolas de Redemptore noſtro JEſu Chriſto, quorum Exemplaria in Archivo Regio Edeſſæ conſervabantur; Atque inprimis ad Tiberium Auguſtum, rogans ut Chriſtum ubique tanquam unum Deum adorari curaret, ad quod reſpondit Tiberius

rius Senatum ei acquieſcere renuiſſe. Iterum reſcripſit Abgarus conqueſtus de eodem Senatu ac rogans, ut Pilatum omni prorſus privaret authoritate; quas epiſtolas a Moyſe Doctore relatas hic brevitatis gratia transſcribere neglexímus. Scripſit etiam ad adoleſcentem quendam nomine *Nierſem*, Artaxerxis Regis Perſarum filium, in Babilone dominantem, quarum tenor eſt hujuſmodi: Abgarus rex Armenorum, filio
„ meo Nierſi animo gaudere. Tuis ſalutationis literis viſis
„ Beroſum à vinculis abſolvi & crimen ei condonavi. Nunc
„ ſi tibi placet, potes ei præfecturam Ninivæ dare, prout o-
„ ptabas. Quod vero ſcribis, ut ad te eum Medicum ablegem, ut illum videas & audias, qui plura ſigna faciens alium Deum, qui eſt ſuper ignem & aquam, prædicat; noveris
„ eum non eſſe Medicum ſecundum artem humanam, ſed
„ Diſcipulum filii Dei factoris ignis & aquæ, cui ſorte contigerunt Armeni ad quos miſſus eſt. Verum quidam alius ex
„ præcipuis ejuſdem filii Dei Diſcipulis, nomine Simon iſtuc
„ miſſus eſt in partes Perſidis; Tu vero invenies & audies eum
„ ſicut & Pater tuus Artaxerxes, & ipſe ſanabit omnes languores & viam vitæ vobis oſtendet.

Scripſit etiam Epiſtolam ad *Artaxerxem*, prout ſequitur:
„ Abgarus Rex Armenorum Artaxerxi fratri meo Regi Perſarum animo lætari. Novi famam percrebuiſſe de Jeſu Chri-
„ ſto filio Dei, quem Judæi crucifixerunt, qui a mortuis reſurrexit, ac in omnes fines miſit Diſcipulos ſuos docere omnes
„ homines: nec non intellexi unum ex ejus primariis Diſcipulis Simonem veniſſe in partes Dominii tui. Tu itaque curabis eum invenire, & ipſe ſanabit omnes veſtros langores
„ & infirmitates, vitæque viam demonſtrabit: Credes ſermonibus ejus Tu & fratres tui, ac omnes voluntarii tui ſubditi,
„ ſiquidem ſummopere cupio vos, qui ſecundum carnem cognati mei eſtis, fore etiam ſecundum Spiritum.

Cum autem Abgarus præfatarum literarum reſponſum præſtolaretur, defunctus eſt, poſtquam regnaſſet annos octo ſupra triginta. Ipſo defuncto, diviſum eſt regnum in duo.

Ananus ſiquidem filius ejus regnavit Edeſſæ: *Sanatrugius* autem filius *Ogæ* Sororis ejus in Armenia majori anno duodecimo Artaxerxis Regis Perſarum. Ananus itaque à pietate pater-

terna deflectens, cum *Abdiam* ſive *Abdam* ejus civitatis Epiſcopum necaſſet, alioſque Chriſti fideles quam maxime vexaret, meruit, ut Sanatrugus dominandi cupiditate captus, adverſus eum perrexerit & ceperit civitatem Edeſſe, tradentibus eam civibus, ea ſpe inductis, ut liceret ſecundum Chriſtianam religionem eis vivere. Ananus vero ac omnes maſculi ex Regio ſemine occiſi ſunt. Converſus autem fuit Sanatrugus a Sancto Thaddæo una cum ejus filia *Sanadukt* nuncupata h. e. Scala. Verum propter ſuorum Satraparum timorem a fide deſciſcens S. Thaddæum & Sanctam Virginem Sanadukt occidere juſſit, quæ apud Armenos adhuc magna veneratione colitur. Mortuus eſt autem Sanatrugus morte difficillima, cum regnaſſet annos triginta, Dario Artaxerxis filio tunc in Perſide imperante.

Poſt illum tyrannice invaſit regnum *Eruantes* nothus ex eadem Arſacidarum ſtirpe, qui cum ſibi ſolium firmaſſet, occidit omnes Sanatrugi filios uno demto, qui a Nutrice ereptus, cum adhuc eſſet infantulus deductus eſt a *Sombato* Bagradionenſi primo regni Satrapa in Perſidem, ubi cum magno honore exceptus eſt. Ertuantes autem non valens inducere Regem Perſarum, ut ſibi traderet Sanatrugi filium, confugit ad Romanos, quos ut in auxilium promptiores haberet, eis ceſſit Meſopotamiam, ac pro ipſo regno Armeniæ majus tributum pendere promiſit, atque tunc Armeniæ Reges e Meſopotamiæ dominatu penitus abdicati ſunt. Regnavit autem viginti annos, donec tandem filius Sanatrugi grandior factus, opitulante ſibi Rege Perſarum una cum præfato Sombato intravit regnum Patris ſui, ac poſt multa certamina tandem Eruantem profligatum occidit.

Itaque *Artaxerxes* (ſic ille vocabatur) cœpit regnare in Armenia vigeſimo nono anno Darii Regis Perſarum. Hic cum neglexiſſet tributum pendere Romanis, coactus eſt duplo majus ſolvere. Ædificavit autem civitatem, quam a ſuo nomine vocavit *Artaxatam*, in eo loco, ubi flumen *Mori* conjungitur Araxi. Illuc ex Armaviro tranſtulit Hebræos, illos quos prædeceſſores ſui duxerant captivos. Hujus Regis temporibus, *Alani* populi una cum his qvi montana habitabant, addita ſibi dimidia Georgianorum parte, effuſi ſunt in Armeniam,

quibus cum exercitu ſuo occurrens Artaxerxes non potuit eis ingreſſum prohibere. Contigit autem, ut Alani ad ripam magni fluminis *Cur* nuncupati caſtra ponerent, Armeni autem ad alteram ejus fluminis ripam conſiſterent. Cum autem filius Regis Alanorum adhuc Adoleſcens â reliquo exercitu divertens in manus Armenorum incidiſſet; Rex Pater Adoleſcentis pro ejusdem liberatione quicquid vellent offerebat; ſed renuente Rege Artaxerxe, filia Regis Alanorum, puella ſane ſpecioſiſſima, ad Artaxerxem peroratura acceſſit; qui ejus ſapientia & pulchritudine captus adoleſcentem dimiſit, eamque ſibi deſponſavit; Alanique inito cum Armenis perpetuo pacis fœdere, receſſerunt ad propria. Vocabatur autem Principiſſa Alanorum *Sathinices*.

Primo autem vel ſecundo anno regni Artaxerxis mortuus eſt Darius Rex Perſarum, cum regnaſſet annos triginta. Ei ſucceſſit *Arſaces*, qui regnavit annos novendecim, poſt quem dominatus eſt *Artaxerxes* annos viginti, cum adhuc in Armenia imperaret etiam Artaxerxes, & poſt Artaxerxem in Perſide *Beroſus* annos triginta tres.

Itaque Artaxerxes Armenorum Rex, cum cerneret omnia ſibi proſpere evenire, cogitavit Romanorum jugum excutere. Imperavit tunc Domitianus, cujus Duces adverſus Artaxerxem caſtra moventes, poſt varia certamina ſuperati ſunt, & haud multo poſt mortuus eſt *Domitianus*; Cumque ejus ſucceſſor *Nerva* breviſſimo tempore vixiſſet, magis & magis evectus eſt Artaxerxes, adeo ut una cum Perſis excurſiones faceret in Imperium Romanum. Verum cum Trajanus Imperii habenas moderaretur, ac in Orientem proficiſcens jam Perſidem intraret, Artaxerxes Rex Armeniæ obviam ei ivit; culpam ſuam confeſſus, veniam ab eo impetravit, ſoluta prius pecuniæ ſumma non modica pro tributo decurrentis & decurſorum annorum. Tandem mortuus eſt, cum regnaſſet anno uno ſupra quadraginta Imperante Adriano, eique ſucceſſit ejus filius *Artavaſtes*, peſſimus ſane Vir, omnibus odioſus, qui modiciſſimo tempore regnavit.

Poſt Artavaſtem imperavit ejus frater *Tirinus* anno tertio Beroſi Regis Perſarum, vixitque in regno anno uno ſupra viginti.

Huic

Huic ſucceſſit ejus frater *Tigranes*, qui regnavit annis circiter quadraginta duobus; poſt illum filius ejus *Valarſes*.

In Perſide autem poſt Berosum regnavit ejus filius *Valarſes* annos quinquaginta, eique ſucceſſit ejus filius *Artuanus*, qui fuit ultimus ex Arſacidarum ſtirpe Perſarum Rex, regnavit anno uno ſupra triginta, occiſusque eſt. Poſt regno præfuit quidam *Artaſirus* natione Perſa.

Itaque poſt Tigranem tertium Armeniæ Regem regnavit ejus filius *Valarſes* ſive *Valarſaces*, anno trigeſimo Valarſis ſive Valarſacis Perſarum; qui cum civitatem *Vardigem* quondam ab Eruante Tigranis primi Patre exſtructam reædificaret ac muris circumcingeret, eam a ſuo nomine vocabat *Valarſciabat* ſive *Vagharſciebat*, cujus hodie reliquiæ vix reſtant apud *Ezmiazin* ſedem Patriarchalem Armenorum. Mortuus eſt cum regnaſſet annos viginti, eique ſucceſſit ejus filius *Koſroes* ſive *Kuſaro*. Hic cum in ultionem mortis cognati ſui Artuani Regis Perſarum ſæpius Artaſirum ejusdem regni Uſurpatorem profligaſſet, tandem a quodam *Anac* ex eadem Arſacidarum ſtirpe dolo occiſus eſt. Quod cum advertiſſent Satrapæ, Anacum perſecuti ſunt, eoque crudeli morte peremto omnem ejus progeniem ſuſtulerunt, uno excepto *Gregorio* infantulo, qui a nutrice morti ereptus eſt, abductusque in Cappadociam, ubi in religione Chriſtiana ſanctiſſime educatus eſt. Artaſiro autem Perſarum Rege poſt mortem Koſrois ſive Kuſaronis Armeniam invadente, *Tiridates* filius Koſrois a quodam Satrapa ductus eſt in aulam Imperatoris Romanorum. Hic eſt Magnus Tiridates, qui temporibus Diocletiani & Conſtantini Magni in Armenia regnavit. *Gregorius* autem filius Anaci eſt ille Celeberrimus *Gregorius* Armenorum Illuminator ac primus eorum Patriarcha, qui cum plurima a Tiridate paſſus eſſet tormenta, & pluribus annis in quodam puteo miraculoſe vixiſſet, indeque eductus Tiridatem baptiſaſſet, totius Armeniæ Patriarcha conſtitutus ſanctiſſimo fine quievit.

Hæc omnia pluribus narrat Doctor Moyſes, quæ & alia, quæ deinde ſequuta ſunt, temporis penuria omittimus. Hæc ut Clariſſimi Dn. *Henrici Brenneri* Sveci ſtudioſitati faceret ſatis, ſcribebat Fr. *Johannes Bartholomæus* ſupra dictus Ordinis Prædicatorum, Aſpahani in Perſide Anno 1699.

Ge-

Genealogia Regum Parthorum ſive Perſarum, nec non Regum Armeniæ Arſacidarum familiæ, ex Arſace primo, qui Macedonum ſive Seleucidarum jugum excuſſit, a Patre in filium deducta, usque ad ultimum ex eadem familia Regem Perſarum.

Arſaces primus Rex Parthorum An. 31.

Artaxerxes primus Rex an. 26.

Arſaces Magnus Rex - - 13
Arſaces tertius ſive Arſacanus 30
Arſaces quartus Rex - 31
Arſes Rex - - - 20
Arſavir ſive Arſor Rex - 46

Surenus ex quo poſt multas generationes Originem habuit *Anac* Pater S. *Gregorii Illuminatoris* primi Armenorum Epiſcopi.

Coxima. puella uxor Ducis Araorum.

Artaxerxes II. Rex
Darius Rex 30
Arſaces V. Rex 19
Artaxerxes III. Rex 20
Beroſus Rex 33
Valarſes Rex 50
Artavanes Rex 31
Ultimus ex Arſaci-

Carenus

Valarſaces primus Rex Armeniæ frater Arſacis Magni - - an. 22
Arſaces primus Rex Armeniæ - 14
Artaxerxes primus Rex - 25

Arſamus Rex 20
Abag. R. Edeſ. 38
Ananus Rex ſine prole
Poſt Sanatrugum regnavit tirannice pluribus annis Eruantes Nothus qui mortuus eſt ſine prole.

Tigranes II. Magnus 33
Artavaſtes Rex ſine prole
Ogia puella
Sanatrugus Rex Pater Sanctæ Scalæ Martyris 30
Artaxerxes II. Rex 41

darum ſtirpe Rex Parthorum, poſt quem regnavit Artaſer, cui ſucceſſit ejus filius Sapor.

Tiranes Rex ſine prole.

Tigranes tertius Rex 42

Artavaſtes Rex ſine prole.

Valazes ſ. Valarſaces Rex 20

Koſroes ſ. Valarſaces Rex 20

Tiridates Magnus Rex.
Koſroes ſecundus ſ. Kuſaro Rex.
Tiranes ſecundus.

Arſaces

Tiridates

Papus

Valarſaces

Arſaces Rex Armeniæ ſubjectæ Romanis.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES REGUM
SIVE
PRINCIPUM IBERIÆ,

Qui regnaverunt in Civitate TEFLISII Provincia Cardelii.

Diligenti ſtudio extracta ex quibusdam Manuſcriptis, idiomate & Charactere Georgiano conſcriptis, apud *Elegere Mirſam*, Conſobrinum Principis *Georgiæ*, Morantem in *Curia* Regis Perſarum.

PRimus Rex, cujus habetur mentio in præfatis Manuſcriptis, fuit *Aſciotanus*, ex ſtirpe & familia *Bagradionenſi*, qui regnavit anno Armenorum *Trecenteſimo trigeſimo ſexto*, ejusque regnum quinque tantummodo annis perduravit. Ut autem colligi poteſt ex infra ſcripta ſupputatione annorum, quibus regnavit filius Demetrii, hic Aſciotanus vixit ante Nativitatem Chriſti JEſu Domini.

2. Sombatus filius Aſciotani regnavit viginti quatuor annos.
3. Aſciotanus, Sombati ex fratre nepos, ſeptem annos.
4. Aſciotanus filius Sombati, regnavit octo annos.
5. Abaſus, frater Aſciotani, regnavit viginti quatuor annos.

Hic Rex *Somcheti* provinciam, quæ parum a civitate Teflis diſtat, ante hæc plane deſertam fecit inhabitari, ibidemque toto illo regno celeberrimam in oppido Sanaim exſtruxit Eccleſiam *Beatiſſ. Virgini Mariæ* dicatam, quæ hodie exſtat, e-

Digitized by Google

amque frequentius adire conſueverunt devotionis cauſa, totius ejusdem regionis incolæ.

6. Aſciotanus filius Abaſi, regnavit viginti quinque annos.
7. Sombatus filius Aſciotani, tredecim annos.
8. Muſciegh Sombati patruus, regnavit decem annos.
9. Abaſus filius Muſcieghi, uno anno ſupra triginta.
10. Georgius frater Sombati, regnavit duodecim annos.
11. Sombatus filius Georgii.
12. Joannes.
13. Georgius.
14. David.
15. Georgius, omnes ex eadem Bagradionenſi familia.
16. David filius Georgii.
17. Demetrius filius Davidis.
18. David filius Demetrii regnavit anno Armenorum Septingenteſimo quadrageſimo quarto.

Hujus Regis temporibus Martirium paſſa eſt in Armenia Majori Sanctiſſima Virgo *Ripſimes*, quæ cum, una cum aliis quibusdam virginibus iram Diocletiani Imperatoris evitare cupiens, in Armeniam perrexiſſet, incidit in manus Tiridatis, qui erga illam veſano amore captus, nec valens ei perſuadere, ut ſibi nuberet, plurimis ſuppliciis affectam Sanctam Virginem occidit, ut fuſius deſcribitur in Actis ejus.

19. Poſt hunc regnavit quidam ex aliena ſtirpe Idolorum cultor nuncupatus *Miriamus*. Qua via autem ad regnum pervenerit, & Bagradionenſis Regia familia pene extincta videretur, non deſcribit Georgianus author, ingenueque fatetur ſe prorſus id ignorare. Sub hoc Rege floruit Sancta *Nino*, de qua Baronius ſuppreſſo nomine ejus agit ad annum Chriſti 327. aſſeritque eam miraculorum & ſanctitatis fama illuſtrem, plures ad Chriſtianam fidem adduxiſſe; de eadem mentionem etiam facit Martirologium Romanorum ſub nomine Sanctæ Ancillæ. Hæc, ut in præfatis Manuſcriptis habetur, tunc vitam ſolitariam in montibus ducebat: ubi in ejus honorem & memoriam celebris Eccleſia ejus nomine ædificata eſt, quæ adhuc extat. Cum a nonnullis ibi reperta eſſet, ejusque Angelicæ vitæ ac inſignium miraculorum fama indies percrebeſceret, Regina illud intelligens, quamvis initio tanquam ſomnia ea exi-

ſti-

Digitized by Google

ſtimaret, attamen quod deinde in ſpem duceretur ſuum recens defunctum filium per merita illius Sanctæ fore ad vitam revocandum, nudis pedibus illam acceſſit, ſecumque ad Zechheta Urbem duxit, quæ tres leucas circiter Teflisio diſtabat; ubi mirantibus omnibus Regis filium a mortuis ſuſcitavit, quo prodigio viſo Regina, ejus filius, ac dimidia pars exercitus (erat enim numerus circiter ſexaginta millium) converſi ſunt ad Chriſtum, reliquis cum Rege in antiqua ſuperſtitione manentibus. Inde exortum eſt acerrimum bellum inter Patrem & filium, ſed tandem facto magno prodigio, quo ſcilicet plures eorum a *Dæmone* obſeſſi, ſe ipſos præcipites dederunt in fluvium, ubi & ſubmerſi ſunt; Rex, exercitus ac reſidui ejus ſequaces Chriſto nomen dederunt & baptizati ſunt. In eadem civitate idem Rex celebrem exſtruxit Eccleſiam Sanctæ Virgini dicatam, ubi ipſe ſepultus eſt, ac deinceps omnium ſubſequentium Regum corpora uſque ad hodiernum diem tumulata ſunt. Poſt Mirianum prædictus ejus filius,

10. Vachtangus Corcaſalius regnavit. Hic in civitate Teflisi Cathedralem Eccleſiam ædificavit, quæ hodie extat, vocaturque idiomate Georgianorum & Armenico *Sancta Sion*, vel *Sancta Columna*, quæ ſignificatio eadem eſt cum nomine idiomatis Georgiani. Idem Rex plura bella geſſit pro Medis ſive Perſis tam adverſus Indos quam alias nationes, & mortuus eſt in ipſo certamine, cum adverſus Turcarum ſive Turcomannorum nationem præliaretur. An vero poſt ſe reliquerit Prolem nec ne, non habetur in dicto Codice Mſc.

11. Poſt ipſum obtinuit regnum Bagradius ex Davide progenitus (An vero fuerit ejus filius vel nepos, non apparet) ex Regia ſtirpe Bagradionenſi. Qui antequam moreretur, Diadema Regni impoſuit filio Georgio.

12. Georgius filius Bagradii.

13. Demetrius filius Georgii, cui nati ſunt duo filii Georgius & David. Poſthæc, neſcio quare, occiſus eſt, indeque ortæ ſunt in populo rixæ, contentiones & bella; Cumque Georgius magis in honore haberetur, tamen David ei prævaluit, ac dolo vel arte occidit illum. Ipſe etiam David cum mortuus eſſet, remanſit ejus hæres unicus, qui ei natus erat filius

Demetrius. In præfata Hiſtoria autem non habetur, utrum iſte regnaverit nec ne. Poſt mortem Demetrii regnavit ejus filius Georgius. Hic prole maſculina carens, unicam habuit filiam Aſli Tamar nuncupatam, quæ poſt Patrem regnum conſequuta eſt.

Primum autem nupſit Ruſſiæ Ducis filio, qui re & nomine erat Barbarus; & cum nollet abſtinere a nefanda conſuetudine quam habebat cum pueris, ipſum penitus repudiatum ejecit, ac ſecundum iniens matrimonium conjuncta eſt cum Davide Uſeti Principis filio. Eſt autem *Uſetum* regio quædam ſita inter montes, qui a mari nigro procedunt ad mare Caſpium, ubi etiam inhabitant populi Circaſſi, vocatusque iſte mons a Georgianis *Jambuſius*. Hæc ut intellexit Barbarus, ducto exercitu ex Ruſſia adjuvantibus ſibi Imireti Incolis, voluit irruptionem facere in Cardeliam, ſed ei obviam facta Tamar debellavit eum, ac plane proſtratum & pudibundum coëgit redire ad propria. Tunc quidam Sultanus, qui ad mare nigrum dominabatur (erat is Mahometicæ impietatis ſectator) miſit ad Tamar legatum quendam, ut peteret eam in uxorem, alias minabatur velle ſe totam ejus ditionem vaſtare & depopulari; Rejecta hujuſmodi petitione, conflatum eſt inter ipſos bellum, victoriamque de Sultano reportavit Tamar una cum ſuo marito Davide.

Poſt ipſos regnavit eorum filius Laſſejus Georgius. Hic habuit Sororem nomine Ruſſodanam, cujus tutelæ moriturus reliquit & regnum & unicum filium parvulum nuncupatum David. Nupſit illa cuidam Principi regionis *Artabani*, quæ ſita eſt prope Georgiam, ex eoque progenuit unum filium, quem etiam vocavit David, & unam filiam dictam Tamar, quam deſponſavit cuidam Gaiſadio in partibus Imperii Turcarum regnanti. Cum autem impia fœmina cogitaret elevare ad regnum ſuum filium, arte & dolo amandavit nepotem legitimum hæredem regni ad generum præfatum, quem etiam deinde pluribus adhortabatur, ut eum interficeret, quod tamen Gaiſadius facere detrectavit, ſed ſolummodo eum in tetrum incluſum carcerem ſub arcta cuſtodia ſervandum tradidit. Interim Ruſſodanæ filius ſive ex curioſitate ſive ex alia cauſa alio perrexit; cumque nullum de eo haberetur nuncium, op-

opportune accidit, ut Ruſſodana moreretur; tunc Georgiani precibus egerunt apud Gaiſadium, ut liberatum e carcere Davidem ad eos remitteret in patrio ſolio ſeſſurum. Verum inhumanus Princeps renuit, quousque coactus eſt ſive precibus ſive minis cujusdam alterius Regis e carcere eum educere & Teflisium remittere, ibi ſuper eos populos regnaturum. Erat ille alius rex quidam Sultanus, qui ſedebat in civitate Samkor prope Cangiam (NB. puto Genſia) & tunc primum factum eſt, ceu licet conjicere ex ſubſequentibus, ut Reges Georgiæ ſubjectionem & obedientiam qualemcunque ſervarent Regibus Perſidis.

Itaque regnum tandem obtinuit David filius Laſſei Georgii. Verum præter expectationem accidit, ut alter David filius Ruſſodanæ appareret in regione Imireti, quæ tunc una cum provincia Cardelia adhuc ab uno duntaxat Principe regebatur, cumque res in apertum & utrinque valde periculoſum bellum eſſet eruptura, conſilio habito decreverunt inter ſe illud regnum dividere, ſicque David filius Laſſei Georgii perſeveravit regnare in provincia *Cardelia*, cujus Regia eſt *Teflis*; alter David autem in provincia *Imireti*, quæ hodie a Turcis vocatur *Baſciuk*. Poſthæc, cum quorundam hominum obloquutionibus diſcordia aliqua inter prædictum Sultanum Samkorii & Davidem exorta eſſet, adeo ut in proximo fuerit, ut bello inter ſe agerent, tamen comperta eorum hominum malignitate omnis diſſenſio evanuit; quinimo ipſemet David una cum Sergio, ſui exercitus Generali Duce invitatus adivit Sultanum, a quo honorificentiſſime exceptus eſt; ab eoque Generaliſſimus ejusdem copiarum factus inito prælio fugavit alium quendam Perſarum Regem, ac penitus profligavit, ſicque magna victoria pro Sultano Samkorii reportata rediit Teflisium. Defuncto autem eodem Sultano ſucceſſit ejus filius Schiah Abaghius, quem gratulaturus acceſſit David Rex, ab eoque regio plane honore exceptus eſt.

Poſt Davidem regnavit ejus filius Demetrius aſſentiente & conſentiente Rege Schiah Abaghio, pro quo etiam plura bella geſſit & inſignes victorias reportavit. Reverſus Teflisium genuit ex prima legitima conjuge tres filios nempe Davidem, Vahtangum & Laſſejum Emanuelem, ac duas filias Aſſiam & Ruſ-

Ruſſodanam. Ab alia muliere (fueritne uxor vel pellex, neſcitur) habuit duos filios Padium & Edigarum; ab alia vero unicum duntaxat filium Georgium. Exinde Rex Sciah Abaghius vel ejus Succeſſor pluribus objectis criminationibus, de quibus falſo a malignis hominibus accuſabatur, eum occidit. Omnes autem ejus filii huc illucque ad tutiora loca fugerant, uno excepto Davide natu majore, quem prædictus Rex ſub arcta cuſtodia conſervandum tradidit, donec ejus innocentia cognita in locum Patris eum ſubſtituit.

Itaque poſt Demetrium regnavit ejus primogenitus David, qui deinde cum a prædicto Rege ad aulam vocatus renuiſſet accedere, timeretque ſibi ab eo, abiit fugitivus ad Regionem Uſet, ejusque minimus natu frater Georgius ad præfatum Regem accedens ab eo obtinuit regnum, ſed cum adhuc imbecillioris erat ætatis, Georgiani renuebant ei obedire. Interim David ex Uſſeto exierat, volens per vim capere regnum, ſed incaſſum, nam cum alius frater Vahtangus perrexiſſet in aulam, ope illius Regis, cujus nomen Caſanus, fugato Davide regnum obtinuit. Sed cum nollet a Chriſtiana religione deſciſcere, acre bellum exortum eſt inter ipſum & præfatum Regem; quare inita concordia cum Davide fratre ſuo paternæ religionis amore, forti animo ſimul decertabant, ac inito certamine contra prædictum Regem Medorum ſive Perſarum, adeo ejus exercitum profligarunt, ut vix tertia pars eorum evaſerit e manibus illorum.

Poſthæc regnavit Luarſabius ejusdem Regiæ Bagradionenſis familiæ, ſed cujus fuerit filius non habetur in præfata hiſtoria; ſicut etiam, utrum poſt eos immediate regnaverit, an vero alii Reges interceſſerint. Contra eum pugnavit Rex Sciah Tamas Magni Sciah Abbas avus atque Sciah Iſmaëlis filius, qui primo regnavit in Ardevil. Itaque cum Sciah Tamas intraſſet Georgiam, Luarſabius (alii legunt Luaſabius) ad tutiſſima loca confugit, ſicque ille re inconfecta coactus eſt abire; non enim regionem populari in animo erat, ſed tantum Luarſabium domare, fortiſſimum ſane Principem, qui non ſemel cum adverſus Turcas tum adverſus Perſas certamen inierat viceratque. Reverſo autem ad propria Sciah Thamaſio, ille e munitionibus exiens excurrebat & vaſtabat Perſarum ditionem do-

Digitized by Google

donec tandem ab hoſtibus intercluſus occumberet magno cum ſuorum luctu, qui & ſtatim ad ſua redierunt.

Luarſabio defuncto regnavit ejus filius Simon, contra quem etiam cum præliarentur Perſæ, in ejus auxilium opportune advenit Georgius filius Leonis Principis Cacheti, qui poſt multa inſigniter geſta in ipſo conflictu vulneratus interiit: quo audito Georgiani animo plane deſiderunt. Sicque opportunum tempus nacti Perſæ, bello inſtaurato per totam Cardeliam excurrerunt, ipſumque Teſliſium regiam civitatem adepti ſunt. Poſthæc David Simonis frater petit Cusbinum, ex ſua quidem ſpontanea voluntate (ut videntur innuere præfata Manuſcripta: verum Hiſtoricus Armenus habet Regem Thamaſium obſides fidei a Rege Simone petiiſſe filium & fratrem; ſicut & poſtea ab Alexandro Rege accepit obſidem filium parvulum nomine Conſtantinum, qui in ſuperſtitione Mahumetana educatus in magno honore habebatur à Perſis. Quomodocunque res ſe habeat, præfatus David, Chriſtiana religione abjecta Mahometo nomen dedit, ſicque regni Cardelii Inveſtitura obtenta, validoque militum præſidio ſtipatus abiit Teſliſium, & perdifficile ſane & dubium bellum cum fratre iniit, adeo ut utrinque haud paucis deſideratis David coactus fuerit Teſliſii arcem intrare; Simon autem montana petens, munitiora obierit loca. Hæc ſiquidem perpetuo fuit Perſarum Politia vel potius vafrities, ut non valentes propriis viribus Georgianos debellare, inter eos mutuas alant diſcordias, eoſque inter ſe invicem digladiantes Perſæ ſuæ ſubjiciant poteſtati. Igitur Sciah Thamas magno collecto exercitu, miſit eum in auxilium Davidis. Simon autem invicti plane animi Princeps, etſi diſſuaderent eum ejus ſequaces, fortunam tentare voluit, ſed nimia hoſtium multitudine prævalente vivus comprehenſus eſt, quem ejus frater miſit ad Sciah Thamaſium, a quo primum honorifice habitus eſt, deinde in munitam arcem cuſtodiendus amandabatur. Verum Sciah Thamaſio vitâ defuncto, qui ei ſucceſſit Rex Iſmael II. (hic uno vel altero anno duntaxat regnabat) eum ab arce deductum magna cum militum copia remiſit Teſliſium, ut Davide ejus fratre dejecto ipſe regnaret. Subjugaverant his temporibus Turcæ totam fere Georgiam, pluresque ibi munitio-

nes exſtruxerant, ut eos populos ſubditos ſibi ſervarent, adeo ut arcem etiam haberent in *Goria* haud procul a Teflisſio remota. Itaque Princeps David animo vulneratus, quod non poſſet præpotenti fratri reſiſtere, arcem Teflisſii, quam occupabat, tradidit Turcis, ipſeque abiit Conſtantinopolin, indeque cum pluribus militaribus copiis rediens bellum contra Simonem inſtauravit, a quo plane ſuperatus eſt. Poſthæc cum Magnus Turcarum Sultanus fere totam regionem Aderbegiam & Servan a Perſis cepiſſet, Georgiæ Principes etiam cogebantur ſibi obedientiam præſtare. Contigit ergo cum Turcæ Simoni non fiderent, quod arce Teflisſii ab iis vindicata Præfectum occidiſſet, contra ipſum duxerunt exercitum, eumque fuga ſibi conſulentem inſequentes comprehenderunt, una cum ejus nepote, ac utrumque Conſtantinopolin amandarunt, ubi & occiſi ſunt. Regnabat autem in Perſide Rex Codabende frater Iſmaelis ſecundi, eique ſucceſſit Sciah Abbas primus filius ejus.

Simone a Turcis comprehenſo regnavit Teflisſii ejus filius Georgius. Hic una cum Alexandro Rege Cakheti acceſſit ad Sciah Abbas, invitatus ab ipſo cum Erivani arcem obſideret, quod contigit circa annum Domini ſexcenteſimum quartum ſupra milleſimum. Sciah Abbas autem vaferrimus Princeps & Chriſtianorum hoſtis infeſtiſſimus Gregorium veneno potato magno cum honore remiſit Teflisſium, ubi ſtatim mortuus eſt. Sic narrat Hiſtoricus Armenus, qui addit eum non permiſiſſe Alexandrum redire domum, donec alium obſidem daret, Temuraſium ſcilicet ejus ex filio nepotem. Habebat autem Alexander tres filios, nempe Davidem, Georgium & Conſtantinum, qui obſes erat in aula Perſarum a tempore Sciah Thamaſii.

Poſt Georgium regnavit Teflisſii Luarſabius tenerioris adhuc ætatis adoleſcentulus. His temporibus Sciah Abbas diabolicum ſane & Regia Majeſtate indignum facinus cogitans, ſemel & iterum miſit Cakhetum præfatum Chriſtianæ militiæ deſertorem Conſtantinum, ſpecie quidem ut tranſiret ad expugnandum Sciamakienſem urbem, vere tamen, ut Alexandrum ſuum Patrem & Georgium fratrem de medio tolleret, ipſeque regnaret; (jam alter frater David a dicto Georgio vulneratus oc-

Digitized by Google

occubuerat) ſicque tandem accidit ut optabat Sciah Abbas, ſiquidem Conſtantinus Alexandrum necavit & Georgium; ipſeque Conſtantinus per vim occupavit paternum regnum, quo tamen brevi excidit: nam cum pergeret expugnatum antedictam civitatem Sciamaki, fuit a propriis militibus occiſus. Quo audito voluiſſet Sciah Abbas quendam Gubernatorem Perſam illic inſtituere, ſed timens ne omnino ab ipſo deficerent, miſit ad eos regendos præfatum Temuraſium Alexandri nepotem, & filium Davidis unicum regni hæredem, quod contigit Anno Domini M. DC. V. ut habet Hiſtoricus Armenus.

Poſthæc Sciah Abbas animo jugiter revolvebat, qua ratione poſſet Georgiam omnino ſibi ſubigere, & Regiam eorum Principum ſtirpem penitus abolere; Itaque ſtrictioris amicitiæ vinculum cauſans, ſecundo & tertio petiit obſides a Rege Temuraſio. cumque ille duos filios ſuos & matrem ſuam nomine Mariam ad Regem miſiſſet; hic impio ſane facinore filios quidem caſtrare fecit; Matrem vero longius Sciraſium usque cuſtodiendam miſit. Plures etiam nobiles Matronæ ex Georgia captivæ in Perſidem ductæ fuerunt, quæ animo forti Chriſtianam religionem blanditiis & minis parvi factis colebant. Cogitans autem Rex omnes illas facile perverti poſſe, ſi Cacheti Regina Maria Chriſti fidem abnegaret, commiſit cuidam Magnati, ut eam omnino, exquiſitis etiam (ſi opus fuerit) adhibitis tormentis, cogeret Mahometi ſuperſtitionem amplecti. Cum autem illa conſtans in fide maneret, ferreis pectinibus toto corpore dilaniata, & tecta caput ignita ſartagine, atque latera ad mammas candenti ferro aduſta animam exhalavit Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto in civitate Sciraſii. Ita adhuc eſt publica vox & fama apud homines peritos, ſic etiam narrat Hiſtoricus Armenus, qui addit Patres Europæos (ſunt hi Carmelitæ excalceati) ejus corpus abjectum canibus occulto eſſe furatos, & dimidiam partem quidem ad Themuraſium ejus filium amandaſſe, reliquam vero alibi cum debito honore ſepeliendam curaſſe. Poſtulavit quoque idem Sciah Abbas a Luarſabio in amicitiæ pignus Sororem puellam & Matrem. At illi præ oculis habentes injuriam ſibi a Rege illatam, occiſionem ſcilicet Patris eorum, prorſus renuerunt, malueruntque deſponſare il-

lam puellam Temuraſio Regi Cacheti, cujus prima uxor jam erat defuncta. Occaſione capta duxit Sciah Abbas exercitum adverſus eos, ſecum habens proditorem hominem Georgianum, qui omnia occulta illius terræ probe noverat: cujus uſus conſilio per abſtruſas vias intravit primo Cachetum, alibi relictis ſarcinis, quo in ejus occurſum perrexerant ſimul Luarſabius & Temuraſius: totamque illam regionem populatus, quam plurimos dolo & vi abſtulit in Perſidem. Et quidem regionem Cacheti omnino ſibi ſubjecit, ejusque habitatores tranſtulit Casbinum & deinde Farabat, eosque partim habitare fecit in ipſa media civitate, partim vero in vicis ejus; verum ob aëris intemperiem, rerum inopiam & plura alia incommoda, haud minima illorum pars interiit, reliquis Mahometicam impietatem profitentibus, inani ſpe ductis, recipiendi munera a Rege Sciah Abbas, qui tamen juxta conſuetam & plane Satanicam aſtutiam eos decepit. Nam poſtquam Mahometani facti fuerunt, paucis tantum obulis ſingulos donavit. Teflifii autem & Cardeliæ provinciam, non ita quidem depopulatus eſt, neque penitus eam ſubjugavit; ſed tamen ex ea etiam plures populos tranſtulit in Perſidem, quorum aliquos Sciraſium tranſportavit, reliqui vero inter montes provinciæ Aſpahanenſis in regione Peria nuncupata prope oppida Armenorum illuc ex Armenia pariter translatorum habitant, omnesque prorſus Mahumeto nomen dederunt. Luarſabius autem & Temuraſius, una cum eorum conſanguineis fuga ſibi conſulentes abierunt Imiretum. Sciah Abbas autem plures miſit Imiretum honorificas legationes, cum ad Temuraſium tum ad Luarſabium, invitans hunc redire Teflifium, eique promittens omnem paternam hæreditatem. Itaque Luarſabius doloſis ejus promiſſis captus rediit; & quidem donec Sciah Abbas manſit Teflifii eum honorificentiſſime habuit; verum rediturus Aſpahanum ſecum duxit, & Sciraſium ablegavit, & tandem doloſe eum occidi fecit, tunc cum Magnus Moſcoviæ Dux peteret per legatum ſuum ejus in regno reſtitutionem. Hæc ex prædicto Armeno Hiſtorico.

Poſt Luarſabium regnavit Bagradius filius Davidis. Huic ſucceſſit filius ejus nuncupatus Simon. Hujus Regis temporibus prænominatus Temuraſius, qui olim jam ex Imireto re-

Digitized by Google

dierat in Cachetum, cum pluries haud modicam intuliſſet Perſarum copiis cladem, tandem ipſomet Rege Perſarum contra ipſum ducente exercitum, coactus eſt iterum ex Cacheto abire, unaque cum quingentis ſelectiſſimis viris petiit Conſtantinopolin, ubi honorifice exceptus eſt. Cum autem fidem in Chriſtum abnegare prorſus renuiſſet, ac proinde indies minori, ut par erat, honore haberetur, pejus aliquid timens intempeſta nocte cum ſuis aufugit, ac gladio ſibi viam aperiens, per medias civitates, & hoſtium numeroſiores turmas, tandem pervenit in Perſidem, ubi haud mediocri quidem, ſed fraudulento honore exceptus eſt. Quippe poſtea in quadam arce incluſus mortuus eſt. Regnabat tunc in Perſide Sciah Abbas ſecundus, quo tempore prædictum Temuraſium jam ſeneſcentem, nonnulli qui hodie ſuperſtites ſunt, etiam Europæi viri noverant, & (ut ferunt) alloquuti ſunt. Reliquit poſt ſe unum filium nuncupatum Tatonam ſive David, ex quo natus eſt Eregle Myrſa, videlicet Princeps Heraclius, qui in profeſſione Mahumetana mutato nomine vocatus eſt Nazir Alichan, qui hodie Teflisii regnat, quomodo autem id acciderit paulo inferius aperietur.

Poſt Simonem regnavit Teflisii Ruſtam Chan filius Davidis procul dubio ex regia Bagradionenſi familia natus. Hic videns ſe prole deſtitutum, adoptavit in filium & hæredem regni Principem Luarſabium ex eadem ſtirpe natum; Perſarum Regis conſenſu accedente. Verum paulo poſt dolo vulneratus interiit. Cujus morte audita Rex Perſidis, nonnullos ex aula miſit, qui defuncti Principis relictam viduam una cum recenter nato, vel forte adhuc in materno utero exiſtente parvulo adduxerunt Aſpahanum, ubi illa quidem tranſivit ad ſecundas nuptias; puer autem in Machumetana ſuperſtitione educatus & grandior factus Aſpahani præfecturam (Dorogam vocant Perſæ) pluribus annis geſſit, ſed quietioris vitæ cupidus Præfecturam miſſam fecit, hodieque privatim valde religioſe (quatenus Alcorani dogmata permittunt) vivit, ejusque nomen eſt Ghorgin Myrſa, hoc eſt, Dominus Georgius.

Poſt Luarſabium defunctum ejus frater Vahtangus fuit a Ruſtam Chano adoptatus in filium, qui & ipſe citius vitam obiit. Poſthæc Ruſtamus in extremo fere vitæ ſpiritu inſtituit hæ-

hæredem Dominum Bacudium filium Principis Mucraniæ, ac miſſo ad Regem Perſidis viro quodam, quem noverat eſſe Regi gratiſſimum, Domino Paſſadano, ex Chriſtiano olim facto Turca; perſuaſit illi, ut a ſe factæ electioni annueret, qui tamen ſic ſuum præbuit aſſenſum, ut mutato nomine placuerit eum vocare Sciah Navaſium, h. e. Principem Sciahnavaſium. Mortuo ergo Ruſtamo regnavit Navas Chan (fuit hic ex regia Bagradionenſi familia), vixitque in regno annos duodeviginti, copioſe a Deo maſculina prole donatus; habuit ſex filios, quorum quatuor adhuc ſunt ſuperſtites. Primogenitus fuit Alexander, qui Aſpahanum accedens fuit ejus civitatis præfectura donatus, in qua & mortuus eſt. Secundus eſt Schiah Naſarchan, h. e. Princeps Nazarius. Tertius Georghin Chan, h. e. Princeps Georgius. Quartus Leon Myrſa, h. e. Dominus Leo. Quintus Luarſabius, qui haud pridem mortuus eſt. Sextus vero & noviſſimus ætate Dominus Salomon.

Fuit Sciah Navaſkan fortiſſimus animo & robore. Cumque adverſus plures in Georgia Principes pugnarit, omnes plane devicit, atque regionem Cacheti ſibi ſubjecit; coactusque eſt illius Provinciæ Princeps adhuc parvulus una cum Matre abire Moſcoviam, (erat is Princeps Eraclius, de quo ſupra traditum eſt, Principis Temuraſii nepos) manſitque apud Magnum Ducem Moſcoviæ, donec tandem a Rege Perſidis Sciah Solimanno per nuncium invitatus perrexit Aſpahanum, cum adhuc Tefliſiis regnaret Sciah Navaſkan. Cepit etiam idem Princeps principatum ſive regnum Imireti, atque conſtituit ejus ditionis Principem præfatum Sciah Naſarchan filium ſuum, quem antea præfecerat Cacheto. Tandem vocatus a Sciah Solimanno timore & mœrore confectus occubuit, ſucceſſitque ei Tertius natu filius Princeps Georgius. Cur autem prælatus fuerit majori natu fratri, Principi Nazario, id cauſa fuit (ut ferunt) audita fama formoſiſſimæ uxoris prænominati Principis Nazarii, quam ſane pulcherrimam omnes ubique prædicabant, ardentiſſimo erga illam Rex adhuc abſentem amore captus, in animo ſtatuerat, nullum non movere lapidem, quin ad optato ſpervenerit amplexus. Erat hæc Principiſſa ex

ex regia Georgianorum Principum familia; Soror antedicti Principis Herachi, cujus Mater una cum ipſo, tunc ex Moſcovia redux ſumtibus regiis Aſpahani alebatur. Rex cum eandem Matrem ſæpius alloqueretur, mirabatur ſane ejus ſingularem in provecta ætate pulcritudinem, ex eaque conjiciens ſummum eſſe in florenti ætate ejus filiæ decorem, quem forſan plus quam par erat adulatores aulici extollebant, idcirco eam prorſus deperibat. Opportune autem pro Regis deſiderio tunc accidit Principem Sciah Navaſchan mori, ac adoleſcentulam una cum marito jam antea ex Imireto fuga lapſo in provincia Cacheti habitare, Principemque Georgium dominandi cupidum promiſiſſe Regi ſe comprehenſurum Sciah Nazarium ſuum fratrem cum conjuge, & mox eos ad Regem miſſurum, ſi ſibi Teflisii regnum donaret, quod & factum eſt. Itaque poſt Sciah Navaſchan regnavit Teflisii ejus filius Georgius, qui ſtatim, ut pervenit ad regnum, cupiens ſaltem exterius Regi Perſiæ apparere, fidelis ſæpius collecto exercitu irruit in fratrem. Verum inter ſe profecto colludebant; nam Sciah Nazarius per fidos nuncios admonitus ſtatim ad tutiora loca ſe recipiebat. Interim Princeps Georgius licet quondam Machumeticam perfidiam fuerit amplexus, tamen, quod Chriſtiani Principis munus eſt, quandoque exequebatur. Nam Patres Capucinos Italos, qui jam pridem Teflisium & Georgiam incolebant, contra Schiſmaticorum ſive Armenorum ſive Græcorum inſultus fovebat, eorumque ſe protectorem agebat, qui Armenorum ſchiſmata renunciantes ad Eccleſiæ Catholicæ communionem ab iiſdem Patribus admittebantur. Sicque regnavit decem & amplius annos; donec tandem comperiens Sciah Solimannus illius cum Germano colluſionem, & mœrens quod non potuerit per illum Principis Sciah Nazarii frui uxore, abrogavit eidem Principi regnum, in ejuſque locum ſubſtituit ſupra dictum Principem Eraclium Temuraſii nepotem, Naziralichan nuncupatum, ac omnibus circum adjacentium provinciarum Gubernatoribus mandavit, ut illi præſto eſſent, ac quod poſſent adjuvarent. Exinde per plures annos, excurſiones, invaſiones & aliæ plures hinc & inde hoſtilitates haud ceſſarunt; donec tandem Princeps Georgius fere a ſuis derelictus, coactus eſt quandoque ad

Cir-

Circaſſos vel alios Georgiæ finitimos populos fugere. Verum Sciah Solimanno defuncto, qui ei ſucceſſit, & hodie vivit, Sciah Huſſein, illum vana ſpe illectum, invitavit Aſpahanum, quo a nonnullis familiaribus comitatus acceſſit, ubi adhuc fere privatim vivens e Regio Theſauro ſumptus ſuppeditatos accipit. Apud ſe habet ſuum natu minimum Germanum Solimannum dictum, qui unicus inter fratres ſuos Chriſto nondum abrenunciavit. Leon Myrſa quartus natu frater, jam pridem Perſarum arte & dolo accerſitus petierat Aſpahanum, quo ut pervenit, haud multo poſt in munitam arcem a Sciah Solimanno amandatus eſt. Verum a Rege Sciah Huſſein revocatus in aulam, aliquamdiu una cum ſuo Germano Luarſabio in carcere eſt detentus, quousque tandem ejusdem & Leonis filiis ad Nazeralichan accedentibus, & Principe Georgio e Cardelia recedente, idem Nazeralichan in pace Teflisii dominaretur Tunc Leonem e carceribus eduxerunt & Luarſabium, quorum ſecundo vita jam functo, primus, qui Chriſtianæ fidei videbatur columna, haud multo poſt a Rege invitatus Machometicam legem profeſſus eſt, inani ſpe adductus ſe poſſe hac via ad paternum regnum pervenire. Sed merito derelictus, vix ducentos aureos de Theſauro Regis ad victum recepit. Sic plane conſuevit Perſarum aſtutia miſellos decipere Georgianos. Verum tamen iſti etiam ſic ſuas animas perdunt, ut Perſicam quodammodo fallant aſtutiam: Nam ſic Machometicam amplectuntur ſectam, ut cum ad ſuos reverti contigerit, Chriſti fidem aperte profiteri non vereantur. Alius autem eorum Germanus Sciah Nazarkan, cum aliquando per tutiſſima *Julbaſii* montis loca, quem incolunt *Uſſi*, *Suanii*, *Tuſcli*, *Abghaſi*, *Dualii*, *Didii* & alii populi, pervagaretur, dein, neſcio qua via, potitus eſt regnô Imireti; verum jubente Magno Turcarum Sultano exturbatus eſt, ac coactus arrepta fuga una cum uxore & liberis abire Moſcoviam, ubi filio ſuo nobiliſſimam ex regia (ut ferunt) Magnorum Ducum ſtirpe puellam deſponſavit. Hicque una cum Magno Duce perrexit in Europam. Iis dimiſſis Pater reverſus eſt Imiretum, ubi iterum exceptus, ac iterum per antedicti Julbaſii montis loca aliquamdiu vagari coactus; tandem, quod Magnus Sultan illius Provinciæ Magnates contra eorum

jura

jura & præter conſuetum Conſtantinopolim vocaſſet, rogatus eſt idem Sciah Nazarkan iis dominare.

Hic obſervari licet, quod *Imiret* Georgice idem eſt, ac latine *Iberia*, ſcilicet mutato m. in b. quaſi *Imeria*. Siquidem ſingulare eſt in Idiomate Georgiano, quod provinciarum & regionum vocabula ſæpius terminentur per Et, unde Ruſſiam vocant *Ruſſet*, Franckiam (h. e. Europam Occidentalem & Meridionalem) dicunt *Franckes*, ſicut & prænominatorum montis Jalbuſii ſive Caucaſi populorum provincias vocant Uſſet, Suanet, Abghaſet, Dualet & alia hujusmodi.

Itaque ex Sciah Navaskan natis, quatuor fratres germani adhuc vivunt, videlicet Sciah Nazarkan, Ghorghinkan, Leon Mirſa & Solimannus, quorum primus tantum habitat in Georgia, reliqui autem Aſpahani.

Præter hos ex eadem familia ſuperſtites ſunt duo fratres germani, itidem Aſpahani commorantes, prædictorum in ſecundo gradu conſanguinei; unus vocatur Pabo, alter Eregle Mirſa, h. e. Princeps ſ. Dominus Heraclius. Hic ille eſt, apud quem exſtant præfata Manuſcripta. Sed de his ſatis.

Quod autem attinet Principatum Teſliſii ac Provinciæ Cardelii; poſt Ghorghinkan dejectum regnavit & adhuc regnat Princeps Eraclius Nazeralikan nuncupatus, de quo ſupra mentio facta eſt. Hujus Mater, uxor & duo liberi, omnes, uxore excepta, quæ Chriſtum negaverat, fidem Chriſti profitentes detinebantur quondam Aſpahani, e Theſſauro Regis ad eorum ſumptus pecunia ſuppeditata. Sed Matre paucis abhinc annis defuncta uxor permiſſa eſt abire Teſliſium; Filii autem adhuc tenerioris ætatis Machometicam amplexati perfidiam in palatio Regis educantur.

Habet & alium filium majorem natu pene mente captum, quem Moſcoviæ olim genuerat.

Quod attinet Provinciam *Cabeti*, eam penitus Perſæ ſibi ſubjugaverant, nec tamen hucuſque auſi ſunt ſpecialem illic in-

inſtituere Gubernatorem, ſed cuſtodienda & regenda tradita eſt *Cangia* civitatis Kaño. Faxit DEus, ut excuſſo tandem Machumetanorum jugo, iterum omnes illæ ſub Principibus Chriſtianis Provinciæ floreant! Amen.

Hæc ex præfatis Manuſcriptis fido Georgiano interprete mediante tranſumta, nonnullis ex quadam Hiſtoria Armena extractis, quibusdamque ex peritorum hominum relatione habitis, ut Clariſſimi & eruditiſſimi Viri Domini *Henrici Brenneri*, natione Sueci, ſtudioſæ curioſitati fieret ſatis, latine referebat ſcribebatque ejusdem Domini Addictiſſimus Servus, Frater *Johannes Bartholomaus* a Sancto Hyacintho Ordinis Prædicatorum Conventus Sanctæ Sabinæ de Urbe Alumnus, Aſpahani d. 20. Aprilis 1699.

Georgianus idiomate Armeno vocatur *Wrazi*, cujus radix eſt *Virek*, cujus Genitivus caſus eſt *Wraz*, a quo derivatur etiam nomen Regionis *Wraſtan* hoc eſt Georgia.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX CONVENTUUM ET ECCLESIARUM.

In ditione Regis Perſidis exiſtentium, Summo Pontifici Romano ſubjectionem & obedientiam profitentium.

IN *Armenia majori* in Provincia *Naxivanenſi* à trecentis ſexaginta annis & amplius, ſunt plures Conventus, Eccleſiæ, & populi ſub cura & directione religioſorum *Ordinis Prædicatorum* nationis quidem Armeniæ, ſed in omnibus & per omnia ritus Latini. Habitabant in hujuſmodi oppidis quondam *decem millia* & amplius Chriſtianorum: ſed invaleſcente Machometica ſecta, acerrimiſque bellis ſæpius uſque ad tempora primi *Sciah Abbas* iteratis, adeò imminuti ſunt, ut non amplius quam *tria millia* Catholicorum illic inhabitent. Archiepiſcopus Naxivanenſis, qui ſemper ex ordine Prædicatorum aſſumitur, reſidet in oppido *Abarener* in conventu ejuſdem ordinis, ubi habitant ſex vel ſeptem, & quandoque decem vel duodecim religioſi. In dicto oppido ſunt non minus quam ducentæ domus Catholicorum & o-

Digitized by Google

ctoginta circiter domus Turcarum. Diſtat à Naxivano quatuor leucas Italicas.

In oppido Coſiaſien ſunt octoginta circiter domus Catholicorum, & quindecim circiter domus Turcarum. In conventu ejuſdem oppidi, ſunt quatuor aut quinque religioſi. Diſtat ab Abarener unam leucam Germanicam.

In oppido Abracunis ſunt quadraginta circiter domus Catholicorum; viginti circiter Turcarum, & decem Armenorum ſchiſmaticorum. In ejus conventu habitant duo, tres vel quatuor religioſi; Armeni autem ſchiſmatici ibi non habent eccleſiam nec ſacerdotes, ſed non longè ab eis eſt celebre Monaſterium quod eorum idiomate vocant *Surp Cabiet*, hoc eſt *Sancti Præcurſoris*. Illic habitat Armenus Epiſcopus, cujus jurisdictio extenditur per plurima oppida Provinciæ Naxivanenſis, Ciahukenſis & Xiabunenſis. Diſtat ab Abarener dimidium leucæ Italicæ.

In oppido Kernà ſunt octo vel decem animæ Catholicæ. Reliqui omnes ſunt Machometani. In conventu ejuſdem oppidi ſunt duo religioſi. Hoc fuit primum oppidum quod quondam amplexatum fuerat fidem Catholicam. Diſtat ab Abarener vix dimidium leucæ Italicæ.

In oppido Sultak ſunt quatuor vel quinque domus Catholicæ. reliquæ omnes ſunt Machometanæ. Diſtat ab Abarener unum milliare Italicum In ea Eccleſia habitabant plurimi religioſi; ſed modo nullus ibi manet, verum quolibet die Dominico, & quandocunque opus fuerit e conventu Abareneri vadit unus religioſus ad faciendum ſacrum & Sacramenta adminiſtranda. Prædicta quinque oppida hinc & inde ſita ſunt circa fluviolum *Erinciah*, ſive *Alingia* nuncupatum, à quo nomen ſumit illa provincia; ſuntque inter Civitatem Naxivani & flumen Araxin, à quo diſtant non amplius quam duas leucas Germanicas.

Prope civitatem *Acolis* ab Abarenero diſtantem viam unius diei eſt quoddam oppidum vocatum *Kamſak*, ubi præter unam

Digitized by Google

nam domum Catholicorum omnes ſunt Machometi ſectatores. Ibi eſt eccleſia quam incolit unus religioſus per aliquot anni menſes.

Oppidum Cilbuk ad alteram partem Naxivani ſitum tot incolunt Catholici, quot ſunt in Abarener. In conventu ſunt ad minus decem religioſi. Eccleſia non ita pridem reædificata eſt, ſumtus munificentiſſime ſuppeditante Catholico rege Hiſpaniarum. Armeni Schiſmatici ibidem habent Eccleſiam; Diſtat Naxivano duas circiter leucas, & ab Abarenerō unius brevis diei iter.

Oppidum Xabunis paulo propinquius eſt Naxivano & Abarenero. Habitatores partim Catholici ſunt, partim vero Machometani, in Conventu extant quinque vel ſex religioſi.

Oppidum Caraeuſt paulo remotius ab Abareno inter montes ſitum verſus Erivanum partim incolunt Catholici, partim vero Armeni Schismatici. Ibi unus vel alter religioſus conſuevit manere.

Oppidum Rezuk prope Curdos ſitum eſt ad alteram partem fluminis Araxis, non longe a celebri Armenorum Monaſterio Sancti Taddæi. Hic ſunt quindecim circiter domus Catholicorum & unus religioſus diſtat. ab Abarenero iter duorum dierum & paulo amplius. Omnes prædicti religioſi ſi non didicerint latinè legere, recitant officium Divinum & celebrant miſſam idiomate Armeno literali, ſervato tamen in omnibus ritu Romano, juxta miſſale & breviarium ordinis Prædicatorum.

Sed de his Conventibus hæc dicta ſufficiant.

In eadem Armenia majori in Civitate *Erivani* R. R. Patres *Societatis Jeſu* habent unam domum, quam inhabitat unus vel alter Sacerdos.

Digitized by Google

Itidem in Civitate *Schiamaki* ad mare Caſpium iidem Patres habent unam domum, quam incolit unus vel alter Sacerdos.

Iidem R. R. Patres habent *Aſpahani* in ſuburbio *Julfa* unam domum & eccleſiam concinne a paucis annis exſtructam, ubi ut in plurimum ſunt duo ſacerdotes. Prædicti Patres omnes ſunt nationis Gallicæ, ſi unum excipias Lotharingum, eorum ſuperior Generalis eſt R. P. Jacobus Tillac.

R. R. *Patres Capucini Itali* habent tres reſidentias, unam *Teſliſii*, alteram *Goria* in eadem provincia, tertiam in *Cangis* in provincia Garaba, eorum Præfectus ſuperior generalis eſt Pater Silveſter Italus.

R. R. P. P. *Capucini Galli* habent duas reſidentias, unam *Tavriſii*, & alteram Aſpahani; In unaquaque ut plurimum ſunt duo vel tres religioſi, quorum ſuperior Generalis reſidet Aleppi ſub dominio Turcarum.

R. R. Patres *Auguſtiniani*, *Luſitani*, habent duos conventus, unum in civitate *Aſpahanenſi*, alterum *Congi* apud Sinum Perſicum, eorum ſuperior eſt R. P. Antonius Dudeſterro, ſpectantque ad Congregationem Indicam. Habent iidem Patres conventum & eccleſiam *Baſſora* inter Arabas. Sed à pluribus annis nullus ibi exſtat religioſus.

R. R. *Patres Carmelitæ* excalceati habent quatuor conventus & eccleſias, velut *Aſpahani*, *Julfa* apud Aſpahanum, *Sciraſii* & *Baſſora*: omneſque ſpectant ad congregationem Italicam, reperiunturque inter eos Itali, Galli, Belgæ, Germani, Poloni &c. omneſque ſimul ſunt octo vel decem ſacerdotes; quorum ſuperior generalis eſt R. P. Conradus Germanus, qui cum abierit Romam, reliquit ſuum Vicarium Priorem Aſpanenſem. Habent iidem Patres in portu *Bander Abaſſi* in Sinu Perſico unam reſidentiam pæne deſtructam, ad quam aliquando accedit unus ſacerdos Baſſora vel Sciraſio.

R. R.

Digitized by Google

R. R. Patres Dominicani ordinis prædicatorum ultra ſupradictos conventus & eccleſias habent unam domum & eccleſiam Aſpahani in ſuburbio Julfæ, in contractu Gaurabati ſive Carakidr, beatiſſimæ Virgini Mariæ dicatam, quam incolunt Sacerdotes, unus ex oppido Abareneri, alius vero Italus Lombardus, ſpectantque modo ad præfatam Provinciam Naxivanenſem cujus ſuperior Provincialis erat R. P. Magiſter Fr. Stephanus Syran de Xabanis.

Archiepiſcopus Naxivanenſis eſt Illuſtriſſimus Dominus Fr. Paulus Baptiſta Avanienſis de Abarener Ordinis Prædicatorum.

Epiſcopus Aſpahanenſis eſt Illuſtriſſimus Dominus Fr. Elias de Sancto Alberto Belga ordinis Carmelitarum.

Epiſcopus Babilonienſis eſt Illuſtriſſimus Dominus Ludovicus Maria Pidoa ordinis Teatinorum Gallus; Hic reſidet in Perſide, in civitate *Hamadani* una cum tribus ſacerdotibus Gallis Seminarii Pariſienſis, qui habent etiam unam domum Aſpahani in Suburbio Julfæ pæne derelictam. Sed de his ſatis.

Scribebantur hæc Aſpahani die 22. Aprilis 1699.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTÆ
AD
COMMENTARIOLUM
DE ORIGINE ARMENORUM.

PAg. I. Auctor horum Commentariorum Moyſes vocatur inter Armenos *Doctor*, qui eorum lingua dicitur *Vartabiet:* & ſunt tales dignitate Epiſcopis ſuperiores, atque in eos & Eccleſias provinciarum habent inſpectionem. In *Ezmiazin* Patriarchali ſede ad montem *Ararat* plurimos a latere Patriarchæ videre licet, abeuntque etiam, cum res Eccleſiaſticæ graviores id poſtulant, ad alias Metropoles. De his in libro *de Statu Eccleſiaſtico Armenorum* Patris Miſſionarii, cujus nomen mihi nunc non occurrit, plura habentur.

Ibid. Hic Moyſes ſuorum *Armenorum* primam originem deducit a *Japheto* Noæ filio, idque facit fide voluminis, quod *Alexander Magnus* a Chaldaico in Græcum ſermonem juſſit transferri, de quo hic actum eſt pag. 4. Ipſum autem nomen *Armenorum* derivat ab *Aramo* filio Harmæ pag. 7. cum prius dicti ſint, ut & ſe ipſos etiam hodie vocant, *Hay* ab *Haigo* victore *Beli* pag. 5. Sed vocabulum *Ararat*, quo Armenia deſignatur, deſumit ab *Arao pulchro*, quem *Semiramis* deperibat pag. 8. Ceterum alias ſatis conſtat, Viros Doctiſſimos horum Armenorum Patrem facere *Semum* Noæ filium, & exiſtimare, quod ejus filius *Aram* nomen a ſuo dederit Armeniis. Doctiſſimus autem Bochartus in Phal. ad Jer. c. 51. v. 27. *Convocate contra eam regna Ararat, Mini & Aſcenaz*, putat Armeniæ

vocem conflatam eſſe ex *Har-Mini*, i. e. *Mons Mini* ſive Montana Minyadis. Verum cum ipſa Scriptura Sacra nihil in his rebus definiat, forte licebit cuivis abundare ſua opinione, quantum innoxiæ curioſitati ſatis. Præterea de Juſtini, Trogi Epitomatoris ſententia, quâ Armeniam putat dictam ab *Arminio* Jaſonis Theſſali comite, alii judicent; ſicut &, qua ratione idem Juſtinus *Media* nomen dederit a *Medio* vel *Medo* quodam filio Medeæ, virtutum Jaſonis æmulo, cum fere omnes deducant originem & Gentis & Nominis a *Maday* filio *Japheti*, Gen. X: 2.

Pag. 2. Quare *Chus* & *Mizraim*, *Gomer* & *Thiras*, ut Patres & filii apponantur, cum Sacra Scriptura eos ut fratres nominet Gen. X. quamvis nulla a Moſe ratio detur: ſi tamen conjecturæ fuerit locus, opinari licet, hunc Moſen, qui Sacram Scripturam probe ſcivit, & non ignarus fuit, quomodo Patriarcharum genealogiæ ibi habeantur, ſequutum fuiſſe nihilominus Codicem Alexandrinum, qui forte non ſeriem *generationum* recenſuit, ſed *dominantium* in Armenia: ita ut poſt *Gomeri* Japheti filii ab illa diſceſſum ad alias regiones forte ſibi datas, ſive *Galatia* vel *Phrygia* aut *Cimbria* illæ ſint, Armeniæ præfuerit *Thiras* ejus frater: et poſt ejus viciſſim abitum in diſſitas oras, ubi forte *Getæ* vel *Thraces* eſſerit futuri, remanſerit ibi *Thogorma* filius Gomeri: atque hoc rurſus alio proficiſcente ad *Germaniam* vel *Scythiam*, (ut hiſtorici ſcribunt) tandem rerum potitus ſit *Haigus* ejus filius, qui fixas ſumſerit ſibi ſedes in Armenia, eamque a ſe denominarit; proptereaque apud exteros Scriptores minus eſt notus. Et videre licet in hiſce Commentariis, aliquos migraſſe in alias terras, atque filiis ſuis vel Nepotibus priores ſedes reliquiſſe incolendas, ut hic mox de *Semo* habetur, & pag. 5. de *Haigo*. Idem dici poteſt de *Chus*, *Mizraim* & *Nimrod*. Sed hic etiam obſervandum eſt, quod Paulus ſcribit ad Tit. 3: v. 9.

Ibid. In ſerie generationum *Chami*, filii Noæ, & Regum Aſſyriorum, *Nimrodo* proximus adjungi ſolet *Ninus* cum ſua *Semiramide*. Hic autem Auctor Moſes eos, *Nimrodum* ſc. & *Ninum* ſejungit, & quinque alios inter illos interponit, ut in laterculo pag. 2. videre licet, idque feciſſe ſe dicit ſecundum teſtimonium cujuſdam Aſſyrii & Abydeni. Inſeruerat etiam

Ju-

Julius Africanus quatuor Reges inter *Theutæum* & *Thinæum*, aliquibus Seculis Nino posterioriores, quos cum Euſebius non approbaſſet, multæ turbæ ortæ ſunt in re Chronologica, ut ſatis notum eſt. An autem ſibi conſtare poſſit Moyſes cum ſuis, quos inter *Nimrodum* & *Ninum* recenſet, Docti videbunt. Interim non ſine ratione eos hos adferre videtur, cum tempora Synchroniſmo cum Patriarchis a *Semo* oriundis, & Regibus Armeniæ *Japheti* poſteris, probare ſatagat. Ceterum ſi nomina conferantur, eorum, quos Jul. Afr. habet, cum illorum, qui hic apud Moſen recenſentur, fere eadem ſunt, niſi quod hic quintum habet nomine *Abelem*, quem ſcribit fuiſſe Patrem *Nini*. Apponam Jul. Afr. Reges, poſt Theutæum (qui fuit 28. a *Belo*, cuique Succeſſorem facit Ninum) ad Thinæum. Sc. *Theutæus*, Arabelus, Chalaus, Anabus, Babius, *Thinæus*. Apud Moſen autem hoc ſunt ordine: *Nimrod vel Belus*, Bab, Anieb, Arbel, Chalat, Abel, *Ninus*. Si res ita ſe jam habet, ut ab hoc Moſe adfertur, non mirum forte videbitur, cur *Ninus* communiter pro filio *Nimrodis* habeatur, qui & *Belus* eſt vocatus, cum facile *Abel*, *Bal* & *Bel* confundi poſſint. Quicquid hujus ſit, forte locum dedit diſſenſui in Chronologico calculo, quod primam Monarchiam quidam a *Nino* incipiant, quidam a *Nimrodo*, & intercalares Reges (ut ita dicam) non ponantur inter *Nimrodum* & *Ninum*, ſed inter *Theutæum* & *Thinæum*. Verum de his aliorum eſto judicium. Præterea adhuc controvertitur, an *Nimrod* ſit *Belus*; cum quidam hunc a Patriarcha *SEMO* deducant, illum autem faciant *Chami* progeniem. Interim videtur *Beli* nomen commune fuiſſe, cum ſecundum Doctorum interpretationem ſignificet *Dominum*. Sic etiam Turcæ adhuc ſuum Imperatorem quemcunque, vocant *Dominum*, qui eorum lingua eſt *Sultan*; & Ruſſi ſuum Imperatorem jam olim appellaverant *Hoſudari*, quo etiam intelligitur *Dominus*.

Pag. 3. Hic vocatur Noa *Kſiſotoreus*, qui etiam ab Abydeno vocatur *Xiſutrus*. De provinciis autem *Turen* & *Servan* ulterius Moſes habet, in ſua *Geographica Aſiæ Deſcriptione*, ut & de aliis locis, quorum etiam in hoc libello fit mentio. Exſpecto, ut eam quam primum in publicum dare poſſim.

Pag. 4. Quod celebriores fuerint Antiquorum in Aſia

Bibliothecæ, etiam me tacente conſtat. Nec fuit hoc Ariſtoteli ignotum, qui Calliſtheni Alexandrum Magnum in Aſiam ſequenti in mandatis dedit, ut dum alii occupati eſſent circa prædam faciendam, ille interim operam daret, ut in libros & Bibliothecas victarum gentium inquireret. Meliori enim genio Illuſtriores Principes Regesque circa priſcorum Monumenta conſervanda ſemper curam habuerant. Vel hinc lucet Heroica Alexandri Magni indoles, qui Antiquorum Heroum Hiſtorias non ſolum juſſerat colligi & cuſtodiri, ſed etiam in linguam tunc maxime communem transferri, ut eorum fama eo melius omnibus innoteſceret; nec hoc ſuæ gloriæ exiſtimavit fraudi eſſe. Sane longe infra hanc Alexandri magnanimitatem fuit Nini ignobilis ambitio, qui (ceu hic pag. 7. habetur) mandavit omnia anteceſſorum ſuorum acta & rerum Commentarios tolli & comburi: non enim generoſe cum Magnis Viris æmulabatur, ſed ſuperba invidia eos ſupplantare, quantum apud eum fuit, ſategit: quid feciſſet vivis, cum hæc fecerit mortuis? In Oriente adhuc hodie ſunt Bibliothecæ maximæ. Regiam *Hiſpahani* in Perſide ipſe vidi, ut & *Patriarchalem* Armenorum ad montem *Ararat* in *Ezmiazin*, unde non procul quondam fuerat Regia Urbs *Vagarſcabat*, quæ nunc eſt in ruderibus. Præterea *Bochara* apud Tartaros copioſa eſt Bibliotheca, ubi etiam Academia exſtat, in qua *Avicenna* olim docuerat, & quæ diu jam ante Tamerlanem floruerat, ut ex hiſtoria Tartarorum & vita *Cingis* Chani ſatis liquet, in quâ obſervatur *Bochara* nomen accepiſſe & idem ſignificare ac *Scholam* vel *Eruditorum ſedem*.

Ibid. De Archivo regio, quod *Edeſſæ* fuerat, teſtatur Euſebius, qui fatetur ſe plurima ex illo deſcripſiſſe. Hæc litteraria monumenta & Bibliothecam ibi erexit *Abgarus* Rex (p. 18.) Salvatori noſtro Chriſto tempore æqualis qui & urbem vel exſtruxit vel reſtauravit, ubi quondam *Meſbin* regia *Valarſacis* ſedes fuerat. Sita dicitur hæc urbs eo loco, in quo Armeni quondam Euphratis trajectum defenderant contra M. Craſſum Ducem Romanorum. Notum eſt, *Carrhas*, ubi Craſſus cæſus eſt, non longe abfuiſſe Edeſſa, atque has *Carrhas*, clade Romanorum celebres, eſſe *Haran*, quò Abraham Patriarcha juſſu Dei ex *Ur Chaldæorum* diſceſſit Gen. 12: 31. Vocatur

tur etiam *Haran* A[redacted] *Charrhan.* Eum ſitum ei tribuunt & Benjamin in Iti[redacted] & Gregorius Nubienſis. Arabes etiam hodie hunc [redacted]cant *Charán* vel *Charran*, eumque maxime hono[redacted] quod Abraham ibi fuerit, ideoque precandi [redacted]cedunt. Appellata eſt quoque Edeſſe alio nomine [redacted]l *Ophra*, atque erit *Orchoën* Ptolemæi, vel *Orch*[redacted] Verum cum *Orpha* quaſi *Urpha* habeatur, quod ſit *Ur* [redacted]*um* (ut apud Kircher. de Turri Babel. libr. II. Sect. [redacted]idere licet) unde Abraham ad Haran abivit, [redacted]hæreant, & quomodo hi duo loci potuerint [redacted] vicini fuiſſe. Ceterum *Ur Chaldæorum*, unde Abraha[redacted] natali ſolo exivit, quidam putant eſſe *Uram*, quam [redacted]anus deſcribit, fuiſſe circa *Niſibin*, & a *Corduena*, u[redacted] *Noa* ſubſtiterat, non longe diſparatam: quidam dicu[redacted] *Uriam* Eupolomæi apud Euſebium, qui eam *Camarinam* v[redacted]cat Urbem *Babylonia*, & hoc convenit cum Plinio, qui *Uram* ad Euphratem ponit. *Camarina* autem vocabulum deducunt ab Hebræa voce, quæ *focum* ſignificat, unde etiam Sacerdotes vocantur Chaldaicè *Camarini*, quod illi ignem perpetuum ſervarent. Talem ignem etiam Perſas coluiſſe ſatis notum eſt, qui hunc cultum antiquitus habebant. Nam cum primi homines cernerent ignem cœlo delabi, qui ſacrificia Patriarcharum depaſceretur, putarunt ipſum ignem eſſe *Deum*, cui hæ hoſtiæ darentur, atque propterea ignem pro Deo venerati ſunt, ipſo vero illis Numine & ignoto & neglecto.

Pag. 5. Cum *Thogorma* Armenice vocetur *Turkom*, ab illo ortum videtur, quod *Armenia* etiam *Turkomannia* dicitur. Verum cum hoc nomen recentius cenſeatur, nec, quod ſciant, apud antiquos Scriptores fuerit uſitatum, creditur potius *Turkomannia* vocabulum veniſſe a *Turcis*, qui primò poſt irruptionem factam in cultiores Aſiæ regiones Armeniam occuparunt, qua de re apud Hiſtoricos invenitur, ut & de Tattarorum ſede in Armenia. De ea inprimis videri poteſt Patris Galani *Hiſtoria Eccleſiaſtica* Armenûm, illorum Latinaque lingua edita Romæ in folio. In Armeniæ montibus natio quædam etiam hodie ſub tentoriis copioſa habitat, quæ *Turkoman* dicitur, quam ipſe vidi ſtativa ſubinde ab uno loco

in alium mutantem, & re paſtoritia victitantem. Hæc qua ſanguinis propinquitate, conjuncta ſit iis *Turcomannis*, qui ab Orientali maris Caſpii littore habitant, non nunc eſt diſſerendi locus: ſufficit hoc tantum annotaſſe: quod ut *Thogorma* Armenicè dicitur *Turkom*, ita *Turca* Judæis dicitur *Thogorma*, ceu a Doctis obſervatum eſt. Etiam *Calmucki* & *Moguli* Turcas vocant *Tugur*. In Hiſtoria Tattarorum, quam deſcripſit *Abulgasi Bagadur Chan*, & cujus interpretationem noſtri Sueci magno labore & multis ſumtibus in captivitate accuraverant, habetur *Tattaros* ſive *Mongalos* etiam genus ſuum recenſere a *Japheto*; ſic, ut cum inter Noæ filios terra fuiſſet diviſa, *Chamo* obtigerit India; *Semo*, *Irahn*, quæ eſt Perſia & Turcia: Japhetus a monte *Dſuſdi* (i. e. Ararat) abiverit ad *Kuttupſchamal*, quod ſignificat *Septentrionalem polum*, & vocatur terra, quò pervenit, *Kittaja*. Mihi, ſi meam opinionem dicere licet, in mentem venit; cum *Kuttup* ſignificet *Septentrionem*, ab illo ipſo derivatum eſſe nomen *Kittay*, quaſi *Kuttay*, & denique *Kattay*, quod ſit quaſi *regio Septentrionalis*. Præterea in eadem hiſtoria recenſetur inter Japheti filios primus *Turck*. Hicne ſit *Gomer* vel *Magog*, qui ambo ad Septentrionem cum Patre veniſſe dicuntur; an pro filio ponatur nepos *Thogorma*, qui ab Armenis jam antiquitus vocatus eſt *Turkom*, alii judicent. Certe apud Hezech. 38: 6. habetur de *Gomero & omni ejus exercitu*, & de *Thogorma, qui ad Septentrionem habitat, atque omni ejus exercitu*, quodque ducat multum populum ſecum. Dicitur etiam in prædicta hiſtoria, quod *Turck* habitaverit in regione *Iſſekoll*: de qua & pluribus aliis Dn. Capit. Tabbert ſelectas obſervationes propediem in lucem daturus eſt. Præterea in eadem Hiſtoria multa habentur de *Ogo* celeberrimo quodam Principe, ejusque poſteris. Ceterum præterire non poſſum, quod Nobiliſſ. & profundiſſimæ eruditionis Dn. Peringſchiöld in libro ſuo de *Genealogia Biblica ab Adamo ad Chriſtum continuata* oſtendit ex Annalibus veteribus, *Chittim* Javani filium etiam appellatum fuiſſe *Cethim*, *Kithi & Gethi*, atque Patrem haberi eorum, qui habitant in *Godhem* & *Scythem*. Illa autem, quæ de *Ogo* ſcribit, & quæ de ejus monumentis ab ultima vetuſtate erutis habet, ea inter omnia antiqua fere excellunt.

Ibid. De *Cadimio* plura hic non habentur: ſed de *Cadmo*, qui

Digitized by Google

qui litteras primus aut invenit aut docuit, quem Phœnicem fuiſſe plurimi ſcribunt, paſſim invenitur.

Pag. 6. Mons ille *Arakaz* in provincia montoſa, ad quam abivit *Armeniaces* Haigi filius, forte originem dedit nomini *Caucaſo*: nam diverſi pronunciandi modi facile occaſionem præbent aliquantæ commutationi litterarum. Obſervavit etiam Solinus, a Scythis Montem hunc dictum fuiſſe *Graucas* vel *Groucas*, i. e. à nivibus *ſubalbum*: quod Scythicum omnino videtur; nam *grau*, *grû* id ſignificat. Doctiſſimus autem Bochartus appellationem *Caucaſi* deducit a dialecto Semi-Chaldaica, qua idem Mons vocatur *Gog-haſan*, h. e. *Gogi munimentum*, unde ſono molliori *Caucaſon*: nam terra *Magog* erat Scythiæ pars circa *Caucaſum*.

Ibid. Celebris illa *Korkorenſium* familia a *Koro* Armeniacis fratre eſt oriunda, qui ad Septentrionalem partem Montis *Arakaz* habitaverat *Korkur*, cujus mentionem fecit Alex. Polyh. apud Boch. l. I. c. 3. & a qua nomen acceperant Montes *Korkyrai* vel *Corcyrai*, qui idem habentur cum montibus *Gordiais*, *Cordyais*, *Kardu*, *Kardud* & *Kordon*. Bochartus tamen vocem *Korkur* deducit ab Arabica *Korkur*, quæ ſignificat *Navem prælongam*: atque ſic Corcyræos Montes dictos putat, quod *magna Navis* vel *Arca Noa* ibi ſubſtiterat. Præterea etiam fluvium *Curum* vel *Cyrum*, qui has oras allabitur, hinc ſuum nomen quoque accepiſſe non incredibile videtur; etſi communiter eum a Cyro Perſarum Rege ſic dictum fuiſſe exiſtimetur.

Ibid. Fluminis *Araxis* Etymon facit Auctor nomen *Eratti*. nepotis *Armai* filii *Armeniacis*, a quo inprimis dictus eſt *Eraſch*, unde poſtmodum *Arax* vel *Araxis*. Obſervat etiam Clariſſ. Bochartus *Araxin* Arabibus dici *Rhoſs*: id ut vidi, incidit mihi, hoc nomen Roſs derivari poſſe ab *Eraſch* vel *Eroſch*, unde *Roſch* & *Rhos*: & inde etiam populi, qui ad Araxin habitaverant, vocati ſunt *Rhoſſi*. Hic notandum, cum Ezech. c. 38. v. 2. admittat duplicem interpretationem: vel ſic: *Pone faciem tuam contra Gog in terra Magog, Principem Meſek & Tubal*: nam Hebr. *Rhoſch* caput ſignificat. Vel ſic: *Pone faciem tuam contra Gog in terra Magog Principem Rhos, Meſek & Tubal*. Si jam hæc poſterior interpretatio placuerit, tunc per Principem *Rhos* intelligitur Princeps populi *Araxani*, ſive ad fluv. Araxin habitantis: nam illius aco-

co-

Digitized by Google

colæ *Rhoſſi* dicti ſunt. Ceterum hi *Rhoſſi* poſtmodum cum Alanis (quorum adhuc quidam ſunt in monte Caucaſo, vide etiam p. 21.) commixti, originem dederunt *Rhoxalanis*, q. *Rhoſſalanis*, quorum mentio apud Hiſtoricos ſæpius fit. De regione *Armavir* ad Araxin, cum ſatis in Commentariis ſcribatur, plura addere ſuperſedeo.

Ad p. 6. Ab Amaſia dictus eſt Mons *Maſſis*, altiſſima pars Montis *Ararat*, ut adhuc hodie ab Armenis vocatur. De regione quidem, ubi ſubſtiterat Arca Noæ, ſatis clarum eſt, cum ſciamus eam vocari Gen. 8: 4. *Ararat*, & hanc ab *Arao pulchro* ſic dictam eſſe Armeniam, ut p. 8. liquet. Præterea a Senacheribi filiorum fuga in Ararat, i. e. Armeniam 2. Reg. 12: 37. & aliis locis hoc ſatis conſtat. Hic non immerito quæri videtur: Quomodo Gen. 8: 4. tempore Noæ Armenia potuit dici *Ararat* ab *Arao pulchro* nondum nato, ut ejusdem cum Semiramide ætatis, & qui duodecima generatione diſtaret à Noa? Sed reponi poteſt: Quare *Ur Chaldaeorum* vocatur Geneſ. II. 31. Ur *Chaſdim* a *Chaſed* vel *Cheſed* filio *Nachor*, cum nec ille adhuc natus fuerit, vid. Gen. 22: 22. quando Abraham ex Ur *Chaſdim* exivit? Igitur ut hic Sacra Scriptura *Prolepſi* potuit uti, ita illic voluit. Verum quis & ubi ille Mons *Ararat* fuerit, & nomine proprio ut appellatus, in cujus cacumine Arca Noæ tandem hæſerat, non omnes conveniunt. Hieronymus dicit eſſe partem *Tauri* ad *Araxin* flumen. Quidam putant Arcam terram attigiſſe in Montibus *Cordyaeorum*, qui iidem *Cardiæi*, *Gordi*, *Corcyræi*, *Corduchi*, *Kardu*, *Curudut* &c. dicuntur, & hos alii ad *Cyrum* fl. alii ad *Tigrin* ponunt. Sed hæc nomina, ut communiora, vix certum aliquem locum deſignant. In Oriente autem atque in ipſa Armenia conſtans eſt, ex ipſa antiquiſſima traditione, opinio, hunc montem eſſe illum, qui non longe abeſt *Irivano* urbe in Majori Armenia, ad cujus radices, etiam nunc Patriarchalis ſedes *Ezmiazim* exſtat. Hic enim Mons vocatur *Maſſis* etiam hodie, & ipſa regio circa montem appellatur *Naxivan*, quod ſignificat *primum portum* vel *ſtationem Navis*, in perpetuam memoriam, quod Noa poſt vagos in Diluvio errores *illuc cum ſuis ex Arca & a monte primum egreſſus ſit*. Et hoc convenit cum Epiphanio, qui ſcribit adverſus hæreſes l. 1. tom. 1. §. 4. *Poſt Diluvium Arca conſtitit inter Ar-*

Digitized by Google

menios & Cordyaeos in Monte Lubar dicto. Alludere videtur *Lubar* ad vocem *Barin*; quæ, vel eſt teſte Heſych. *Navis*; vel indicat *ἀποβατήριον*, quod Hieronymo interprete ſignificat *locum, quem Armeni exitum vel egreſſum vocant.* Hanc autem vocem eſſe Armeniam non puto aliquem exiſtimare, ſed translatam idem ſignificare cum proprio Armenorum vocabulo, quo hunc locum exitus deſignant, atque illud ipſum eſt *Naxivan*, de quo jam ſcripſi. Civitas enim *Naxivan* idiomate Armeno dicitur *Nakcievan* (profer C more Romano) quaſi *primus funiculus.* Vel etiam dicitur *nakicievan* quaſi *prima deſcenſio* vel *primum diverſorium.* Nam *Nack* ſignificat primum, & *Cievan* proprie *diverſorium*, ad quod viator pervenit. Unde apud illos populos eſt traditio, quod illa civitas fuerit primo ædificata poſt diluvium: diſtat illa non procul a monte *Aranat*, quem illi vocant *Maſis.* Verum hoc non recte dicitur, montem ipſum vocari *Lubar, Barin* aut *ἀποβατήριον* vel *Naxivan*; cum regionis hoc ſit nomen ad montem vicinæ, & mons vocetur *Maſſis.* Bene Guilhelmus de Rubriquis ante annos circiter quadringentos obſervat, (quem citat, etſi ejus opinionem non probet Doctiſſ. Boch. l. 1. c. 3. Phal.) *Araxi & Naxuanæ duos imminere Montes Maſſis nomine, in quo Arca reſedit, & Cemainum oppidum ab octo illis conditum, qui ex Arca exiverunt, idque patere ex ipſo nomine, quo octo ſignificantur.* Nempe *Cemainum* alludit ad Hebræam vocem *Semen*, quæ octo ſignificat. Cur autem Guilhelmus duos fecerit montes *Maſſis* ad *Naxivan*, atque *Naxivan* & *Cemainum* diſtinxerit, neſcio: nam Cemainum (Tſemainum & Themainum) ſignificat *octo hominum egreſſum*; & Naxivan *primorum poſt diluvium exitum a Navi* (Arca,) quos octo fuiſſe, quis neſcit? Interim de montibus *Tſemanim* & *Maſurim* (Maſſis) etiam habet Geographus Arabs. Ceterum cum *Amaſias* ad Orientalem & Occidentalem plagam montis Maſſis poſuerit habitacula; veriſimile eſt, incolas eorum eos eſſe, qui primum dicti ſunt *Maſſieni, Maſſiani*; vel ſecundum genium Orientalium *Maſach, Moſech* vel *Moſoch* (ſic enim veteres illud ſcribebant,) hinc etiam *Moſchi, Moſchini* & *Maſchici.* Præterea cum legatur *Moſchos habitaſſe Moſchicos montes, qui Iberiam dividunt ab Armenia, & utramque a Colchide*, videtur per Moſchicos montes intelligi etiam *Maſſin*, ut & locorum ſitus & Epiphanii teſtimoni-

nium modo citatum oſtendit: dicit enim Arcam ſubſtitiſſe in monte *Lubar* inter *montes Armenios* & *Cordiæos* vel *Conducos* qui ſunt *Iberia*: & hoc convenit cum Plinio & Strabone. Quanquam poſtmodum ut numeroſiores facti ſunt Moſchi, & limites territorii ſui extendere poterant, viciniaſque aliarum regionum occupare, etiam nomen cum illis deductum fuerit, ita ut *Moſchici montes* patuerint, quouſque eorum ſedes producebantur; unde etiam in Cappadocia ponuntur *Moſchici Montes*, & *Moſchos Mari Hyrcano* admovet Pompon. Mela, atque in *Meſopotamia* mons *Maſius* ponitur: quem licet etiam in *Armenia* conſtituat Cl. Bochartus, illius tamen nominis Originem deducit a *Mas* filio ultimo *Arami* Gen. 10: 23. qui *Meſeck* vocatur 1. Paral. 17. *Moſchi* etiam a *Moſſynoccis* ut diſtent, vide Bochart. l. III. c. II. Verum quod *Cappadocia* exinde ſit appellata *Meſech*, quia ibi fuerat urbs *Maſach*, quæ deinde dicta eſt *Cæſarea*, id aliter hic oſtenditur p. 7. Nempe quod Aram Rex Armenorum (a quo Armeni nomen ceperant) poſt dilatatum regnum præfecerat Ducem ſuum *Miſach Cappadociæ*, qui urbem ibi conſtituit, eamque a nomine ſuo *Maſach* vocavit, quæ multa poſt tempora dicta eſt *Cæſarea* p. 16. Præterea, ut videre licet, Herodotum ſemper conjungere *Moſchos* & *Tibarinos*; ſic Prophetam Ezech. *Meſech* & *Tubal*: ſed de his aliquid poſtea. Cum in Armenia ad Montem Ararat eſſem, audivi Patriarcham nomine *Jacob*, qui aliquo tempore prius vixerat, ſeptem annos allaboraſſe & omnem operam dediſſe, ut aliquem inveniret, qui poſſet ad cacumen Montis aſcendere; ſed irritus omnino factus eſt ejus labor, propter ingentia præcipitia, adeo ut jam talis conatus, etſi religioſus, habeatur fruſtraneus. Legitur tamen apud Elmaſinum Hiſt. Sarac. l. I. c. 1. *Heraclium Imperatorem, poſtquam ad pagum Themanim veniſſet, aſcendiſſe montem Godi (Gordi) atque vidiſſe locum Arcæ.* Etiam apud Benjamin Judæum habetur: *Omarem Alcitabi filium, Arcæ reliquias ex Monte Ararat tranſtuliſſe in Inſulam Tigridis, ibique ex illis Templum Mahometanum conſtruxiſſe.* De cruce etiam ex reſiduis Arcæ facta paſſim ſcribitur. Fuiſſe enim potuit, ut olim aſcenſum Mons admiſerit, licet hodie ſit admodum rudis, horridus & præruptus. Ceterum Clariſſ. Olearius etiam dicit Montem hunc Armenis vocari *Maſinum*: ſed quod videri poſ-

Digitized by Google

poſſit a Mari Caſpio, & quaſi *Cynoſura* ſit navigantibus, hoc capere non poſſum; cum tam longe e mari Caſpio & in medio Armeniæ juxta urbem *Irivanum* ſit ſitus, atque tot altiſſimi montes interjaceant, quorum cacumina cœlum quaſi petere videntur. Quare opinari licet Clariſſimum Virum, alioquin maxime lynceum, ex relatione aliorum, montis Caucaſi aliquam partem pro Ararat vidiſſe & depinxiſſe. Turcæ hunc montem vocant *ag-dag*, h. e. *album Montem* propter Nives, quæ circa ſummitatem illius apparent.

Ad p. 6. Ghilam Amaſiæ filius transmigraverat inter Orientem & Septentrionem ab *Armavir* ad oram cujusdam parvi maris, quod ſicut & regionem vocavit *Ghielkuni*, Montem vero *Ghiel.* Fallor, an non hæc provincia ſit *Ghilan*, olim *Hircania*: nam & nomen & ſitus regionis hoc arguunt; vocantur enim adhuc hodie ibi incolæ *Ghielak*, atque Mare *Caſpium* vel Hyrcanum adhuc nomen retinet *Dengis Ghieluni*, quaſi *Ghielkuni*. Nec videtur abſonum, quod ipſum *Hircania* vocabulum hinc ſuam habeat originem, ut ſit *Hircania* quaſi *Hilcania* vel potius *Ghielcania*, quod prodit nomen Ghielkuni.

P. 8. *Aramum* Regem Armeniæ, qui temporibus Nini vixerat, Diod. Sicul. l. II. c. 1. vocat *Barzanem*.

Ibid. De *Arao pulchro*, a quo Armenia dicta eſt *Ararat*, & inter præliandum cæſo, quantum mihi ſcire licuit, apud alios Hiſtoricos non habetur: id tamen aliquid detrahere fidei Codicis Chaldaici, a quo ſua hauſit Moſes, non puto. Verum forte nec tota *Armenia*, olim *terra Hay* dicta, ab hoc Aræo appellata eſt *Ararat*, ſed tantum ejus *Auſtralis pars* ad Montes *Gordyæos*, & ea regio ubi Arcam Noæ ſubſtitiſſe S. Scriptura dixit. Hoc enim convenire videtur cum ejus Moſis deſcriptione & aliorum Auctorum ſententiis, quas recenſere jam non vacat.

Ibid. *Zoroaſter* etiam in *Greg. Abuli Pharſcii Hiſt. Dynaſt.* quam edidit Celeberr. Pocockius, vocatur *Zorodaſcht*, & dicitur *Præceptor Magorum*, *atque oriundus regione Aſſyria*: ſed juniorem eum facit *Nino & Semiramide*, cum ſcribit illum haberi Diſcipulum Prophetæ *Eliæ*; propterea aſſerit eum de *Chriſti* nativitate & tunc *ſtella Magis* oritura vaticinatum fuiſſe. De Zoroaſtre etiam Bactrianorum Rege, cui cum Nino bellum fuit, habet Juſtinus: quodque hic Magicas invenerit artes, præter Ju-

Juſtinum tradunt Arnobius, Auguſtin. & alii. Sed hunc Bactrianorum Regem non *Zoroaſtrem*, verum *Oxyartem* fuiſſe ex Cteſia docet Diodorus, qui eum nec Magum fuiſſe, nec Magicas artes viribus hoſtium oppoſuiſſe dicit. Sunt, qui Zoroaſtrem faciant *Chamum* Noæ filium, quia & is auctor habetur *Magiæ* & *Alchimiæ*: ſed de horum opinione vide egregie diſſerentem Doctiſſ. Bochartum. Ceterum de hoc *Zoroaſtre* vel *Zorotaſt*, qui & Magus fuerat, & Medorum Princeps, & cum Nino prælium fecerat, & a Semiramide conſtitutus eſt ſuper Ninives & Aſſyriæ regno, non invenire poſſum apud alios auctores præter hunc Moſen, quem tamen non ſine teſtimoniis ſcripſiſſe opinor. Quicquid tamen ſit, ſatis conſtat *Platonem* in pretio habuiſſe Chaldæorum monumenta, & in his præcipue *Zoroaſtris* Magiam; quæ divini cultus ſcientiam, Rerump. adminiſtrationem, atque ſiderum notitiam doceret. Sic *Magiam* & *Magum* alia olim ſignificaſſe, quam hodie, videre licet.

Ad p. 9. Zarmærus Armenorum Rex, qui cum Æthiopum exercitu perrexerat ad bellum Trojanum, Priamo auxiliaturus, fuerat ſic æqualis *Teutamo* Aſſyriorum Regi, de quo narrat Diod. Sic. l. 2. *quod is Duce Memnone Tithonis filio, miſerit Priamo decem millia, & totidem Suſanos cum CC. curribus.* Hic quidem Chronologi pro *Teutamo* ſubſtituunt *Thineum*, idque non ſine cauſa. Sed quis fuerit *Æthiopum* exercitus, quem duxerat, *Memnoni* a Rege Aſſyrio miſſo, nunc Socius adveniens Armenorum Rex *Zarmarus*, merito quæritur: Æthiopes enim in Africa eſſe, etiam vulgo notum eſt, ab Aſſyriorum imperio & Armenorum vicinia multum diſſitos. Verum cum *Colchos* etiam *Æthiopes* vocatos fuiſſe conſtet, atque hos Armenis Aſſyriiſque vicinos, dubium non videtur, hos fuiſſe illos Æthiopes, qui ad auxilium Trojanorum abiverant, quibus etiam ſe adjunxerunt conterminæ *Amazones*. Colchos autem Æthiopibus ſanguine junctos eſſe, ex Herodoto & Pindaro conſtat: præter id, quod apud Hieronymum habetur, Matthiam Apoſtolum Evangelium prædicaſſe in altera *Æthiopia*, ubi *eſt irruptio Aſpari & Hyſſi portus.* Altera Æthiopia Stephano dicitur *Colchis*, & ibi *Aſparus amnis* invenitur & *Hyſſi* portus in ipſo terræ flexu ſuper Trapezuntem. Præterea Arianus in Periplo dicit: *Trapezuntiis Colchi ſunt finitimi*: & Xeno-

phon

Digitized by Google

phon deſcribit *Trapezuntem in regione Colchorum.* Sophronius etiam *Sebaſtopolin* ponit in Æthiopia. Hæc *Sebaſtopolis* Emporium olim erat Colchidis adeo clarum, ut trecentæ in illud nationes, quæ diſſimilibus linguis uterentur, mercaturæ gratia confluxerint, ut obſervat Boch. l. IV. c. 31.

Ad pag. 9. & 10. De controverſiis Chronologicis hic agere non conſtitui, ſufficit mihi hæc annotaſſe; quod alii inter *Sardanapali & Senacheribi* fata tot annos non ponant, quot a Saliano Pater Joh. Barthol. huc adſcribit, cum ſecundum Celeberr. Profeſſoris Hallenſis Joachimi Langii Tabulas Chronol. Period. IV. in Hiſt. Eccl. V. T. Sardanapali interitus acciderit A. M. 3257. & Senacheribi Anno M. 3294. circiter ſecundum Uſſeri Annales. Præterea adhuc quæritur de nomine illius Regis, qui Manaſſem abduxit, cum 2. Chron. 33. v. 11. tantum habeatur: *Duces exercitus Regis Aſſyriorum Manaſſem abduxiſſe Babylonem.* Quidam hunc Regem putant eſſe *Aſſarhaddon Senacheribi filium*, 2. Reg. 19: 37. alii *Merodam*, Jeſ. 39. v. 1. qui *Brodach* vocatur 2. Reg. 20: 12. qui dona miſerat ad Hiſchiam: vel alium ejusdem nominis; nam Merodach fuerat nomen Babyloniorum Regibus commune, ut Pharao Ægyptiis. Moſes vero vocat eum *Nebuchodnezarem*: hunc autem non fuiſſe *Magnum illum*, qui omnino Judæam afflixit, ſatis liquet, ſed alterum quemcunque, cum Nebuchodnezaris nomen etiam aliis datum fuerit, ut *Nabopolaſſari.* Ceterum quomodo *Aſſyriorum Rex potuerit Babylonem ducere Manaſſem*, quæ ſuos habuit Reges, conjecturis tantum agitur inter Chronologos & Interpretes, cum quidam exiſtiment tunc Babylonios occupaſſe Aſſyriorum regnum; quidam Aſſyrios Babylonem: nam inter ſe bella gerentes, nunc hi nunc illi erant ſuperiores. Nec mirum, ſi res hujusmodi in obſcuro ſunt, deperditis fere omnibus iſtorum temporum & rerum geſtarum monumentis.

Pag. 11. Reges Mediæ eodem numero & iisdem fere nominibus hic Moſes recenſet ac Cteſias & Diodorus.

Pag. 12. Etſi Auctor non habet Catalogum Regum Armeniæ ſub Monarchia Perſica; tamen breviter indicat *Tigranis Armeni*, qui Cyro fuerat amicus, poſteros regnaſſe usque ad *Vahe* illum, qui ab Alexandro Magno occiſus eſt. Juſtinus autem innuere videtur, eos aliquando Perſis paruiſſe, & *Darium*

Codomannum, poſtea Regem Perſarum, qui ab Alex. M. victus eſt, antea præfectum fuiſſe Armenis, in præmium virtutis ſuæ, quod hoſtem provocatorem occidiſſet, atque victoriam ſuis & prope amiſſam gloriam reſtituiſſet. Poſt Alexandri Magni mortem usque ad Arſacis Magni tempora, qui fratrem ſuum Valarſacem conſtituit Regem Armenorum, dicit Moſes eorum res eſſe obſcuras. Alii autem Hiſtorici tradunt Alexandrum Magnum præfeciſſe Armenis *Mithrenem*: poſt cujus mortem iis præpoſitum eſſe *Phratifernem* ſcribit Juſtin. lib. 13. c. 5. Deinde ut Strabo l. II. narrat, Armenia ſubdita fuit iis, qui Mediam & Syriam obtinebant uſque ad Antiochi M. tempora, qui bella cum Romanis geſſerat, cujus Duces *Ataxias* & *Zadriades* eam inter ſe diviſerunt. Ab *Ataxia* ortum fuiſſe *Tigranem* Magnum dicit, qui bellum habuit cum Lucullo & Pompejo Imperatoribus Romanis: & a *Zadriade Artanem*, quem Tigranes oppreſſit, & omnem ejus provinciam in ſuam redegit poteſtatem. Verum Tigranis nec Pater nec Proavus fuerunt ab Antiocho Magno conſtituti in Armenia, ſed Arſacidæ ibi regnabant, ſi fides Moſi ſit habenda, ut indigenæ.

Pag. 12. Parthorum genus deducit D. Moſes ab Abrahami filiis ex Ketura uxore natis: quos S. Scriptura Gen. 25: 6. dicit eum in Orientem donis datis ablegaſſe, & ab Iſaaci hæreditate ſeparaſſe. Scio de Origine Parthorum varia a diverſis tradi. Quidam volunt illos eosdem eſſe cum Perſis, hac ducti ratione: quod *Perſæ* dialecto Græca etiam dici poſſunt *Parthi*, propter ſuetam commutationem earum literarum in illa lingua. Sed cum in Oriente Parthi adhuc dicantur *Parthiewk*; *Perſæ* autem *Parſi*, apparet non hic locum habere hanc Dialecti varietatem. Ex *Scythia* illos veniſſe, & Scythico Sermone *Parthos*, *exules* dici, ſcribit Juſtinus. Sane non leve eſt argumentum, quod in lingua Perſarum, qui a Parthis ſubacti fuerunt, multa etiam hodie inveniantur vocabula cum noſtris prorſus eadem, ut jam olim Viri Doctiſſimi obſervarant. Quicquid hujus ſit, hi Parthi primis temporibus, ſub *Aſſyriorum*, *Medorum*, *Perſarum* & *Græcorum* in Oriente regnis, veluti plebs ſine nomine, præda victorum fuerant: donec Arſaces quidam exſurgeret, qui excuſſo Macedonum jugo, Sexaginta fere poſt Alexandrum Magnum annis, primus in Parthis

this

Digitized by Google

this regnavit, & fecit eos imperare iis gentibus, ſub quarum imperio hactenus veluti ſervile vulgus, fuerant. Quis & unde fuerit hic Arſaces, inter Auctores non conſtat. Juſtinus dicit eum Virum, *ſicut incertæ originis*, *ita virtutis expertæ*. Alii putant eum genus ducere â Dario Codomanno, ultimo Perſarum Rege: alii a *Chaichoſru*, i. e. Cyro: alii ab Artaxerxe, etiam Perſarum Rege. Sed Moſes ſcribit eum eſſe a Nepotibus Abrahæ ex Ketura. Opinor tamen, cum apud Hiſtoricos inveniatur, 'Arſacem Parthiam ingreſſum', imperium eorum invaſiſſe, ut alienigenam, quod illius genus forte fuerit ab Abrahamiticis, ipſorum autem Parthorum Origo a Scythis.

Pag. 13. Arſacem primum contra Syro-Macedonas inſurrexiſſe Juſtinus ſcribit, tempore regni *Seleuci Callinicis* quem, ait, propter gravia bella cum fratre *Antiocho* (*Hierace*) non potuiſſe defectores perſequi. Euſebius autem hoc factum fuiſſe exiſtimat regnante *Antiocho Theo*, Seleuci Nicanoris nepote, circa finem belli Punici primi. Cauſſas autem, cur arma ſumſerit Arſaces, diverſas Auctores recenſent, quas hic referre prolixum eſſet. Conſtitui quidem hunc Moſis Catalogum Regum Parthorum conferre cum illo, qui ab aliis Auctoribus quomodocunque colligi poteſt: ſed inveni in illis tam multa & inter ſe pugnantia tradi ſcribique, ut illa dijudicare & revocare ad qualecunque examen res ſit majoris operis, quam pretii: maxime cum ſcirem Moſen breviter tantum res Parthorum perſtringere, non autem accurate deſcribere voluiſſe, atque ea ſaltem attuliſſe, quæ neceſſaria exiſtimavit ad Synchroniſmum cum Armenorum Regibus explicandum. Quare ſolum illa hic annotabo, quæ aliquomodo inter ſe cohærere mihi viſa ſunt, etſi nomina Regum propria minime conveniant. Si cui volupe fuerit Parthorum Annales tanti facere, ut accuratius tractentur, id faciat, & liberum ei eſto judicium.

Poſt Arſacem, qui plurimos regnaverat annos, Imperium ſuſcepit filius *Artaxeres*. Hic a Juſtino vocatur etiam Arſaces, (nomine communi Regum Parthorum) qui adverſus Antiochum Magnum Seleuci filium magna virtute pugnaverat. Verum de hoc alios non meminiſſe fatetur Voſſius.

Ar-

Digitized by Google

Arſaces Magnus, eſt *Mithridates* Juſtini; quem Joſephus tamen *Arſacem* vocat: nam hic cepit *Demetrium Nicanorem* captivum, qui filius fuit Demetrii Soteris, filii Seleuci *Philopatoris*, non Antiochi, ut habet Moſes. Verum de *Pampatro*, qui Pater ejus apud Juſtinum dicitur, Voſſius dicit ſe nihil ſcire: & de fratre ejus *Phrahate*, quem Iſiodorus & Juſtinus ſcribunt Mardos bello domuiſſe, nihil hic habetur, ſi non forte Moſes in majoribus Commentariis aliqua ſcripſerit, quos cum nondum receperim, ex memoria labili aliqua de hac re adferre non audeo.

Arſaces III. vel *Arſacanus*, eſt *Phraates*, qui *Antiochum Sedetem* vicit, & filiam Demetrii in uxorem duxit, atque a Scythis cæſus eſt.

Arſaces IV. eſt *Mithridates* ille Magnus, qui claritatem Parentum, æmulatione virtutis accenſus, animi magnitudine ſupergreſſus eſt, & multos populos Parthico regno addidit. Bellum ejus cum Rege Armenorum *Ortoadiſte* (quem puto eſſe *Artaxerxem* Patrem Tigranis, nam ejus filius erat Artuaſtes) ortum fuiſſe videtur ob graves pacis conditiones, quas Patri ejus *rſacano* præſcripſerat Artaxerxes.

Pag. 14. Inter hunc Arſacem III. & Arſacanum ponit Juſtinus patruum ejus *Artabanum*, cujus filium dicit eſſe hunc Mithridatem. Alii autem inter Artabanum & Mithridatem addunt *Pacorum* I. & Phraatem II. quem volunt Legatos ad Pompejum M. miſiſſe: tot ſunt hic turbæ!

Arſes eſt *Orodes*, vel *Hyrodes* Plut. (etſi Juſtino dicitur frater Mithridatis) qui M. Craſſum Romanorum Imperatorem cum omni exercitu delevit. Hic enim p. 16. habetur, (quamvis ſatis confuſe) Tigranem omnibus modis Regis Perſarum *Arſis* quæſiviſſe amicitiam. Et de *Orode* apud alios narratur, quod ejus filia nupſerit *Tigrani* Juniori Armeno. Præterea apud Plutarchum in Craſſo & Juſt. Libr. XLII. c. 4. de *Pacoro* ejus filio multa ſi non plurima habentur (apud Plutarchum etiam Armenus Rex non vocatur Tigranes, ſed Artuaſtes.) De *Bazarpane* ejus Duce etiam meminit Joſephus. Verum Moſes refert *Bazarpanum* fuiſſe Satrapam Tigranis Regis Armenorum, & *Pacorum* non *Arſis* vel *Orodis* filium dicit, ſed alius Regis *Syriæ* vel Aſſyriæ, qui favebat Antigono contra *Hyrcanum* in Judæa.

Ar-

Digitized by Google

Arſbeat vel *Arſor* eſt *Phraates* III. qui vicit M. Antonium, & deinde Auguſto amicus ipſi ſigna Romana Craſſo & Antonio ablata remiſit. Scribitur Phraatem dediſſe intra manus Auguſti filios ſuos *Saraſpidem*, *Geroſpidem*, *Phraatem* & *Vononem*; idque feciſſe ſuaſu Pellicis ſuæ, poſtea Conjugis *Thermiſſa*, Italici generis, ab Auguſto quondam ipſi datæ, quæ poſtquam ſuus filius *Phrataces* adoleverat, aſtutia muliebri privignos ablegari ſategit, ut proprium Phratacem in ſolium eveheret. Evexit etiam: nam is parentem occidit, & illam matrem ſibi uxorem duxit. Sed tot ſceleribus Parthi commoti non diu hunc Parricidam & ſuæ Matris maritum regnare ſiverunt, verum regno ejectum occiderunt. Inde orta diſſidia, quæ aliter Romani Scriptores, aliter hic Moſes narrat: quos conferat, qui has res tanti facere voluerit.

Inter ſeditiones domeſticas, impulſore forte vafritie Romana ortas, poſt mortem *Arſaviri* ſive *Phraatis* electus eſt *Artanerxes*, quem puto eſſe *Orodem* II. Qui, cum vel depulſus fuerat, vel inter ſacrificandum occiſus, Roma miſſus eſt Succeſſor *Vonones*; ſed non meliori fortuna advenit.

Darius videtur fuiſſe *Artabanus* apud Dahas educatus, contra quem Roma venit *Phraates*; deinde *Tiridates*. De Artabani rebus egregie geſtis plurima habent Hiſtorici.

Arſaces vel *Valogeſes* filius Artabani, poſtquam priores fratres *Vardanes* & *Gotarzes* inter ſe colliſi ceciderant, Rex factus eſt.

Artaxerxes eſt *Artabanus*, qui a Veſpaſiano deponebatur.

Beroſus eſt *Coſroës*, qui Trajano ſe ſubmiſit. *Valarſaces* eſt *Vologeſes* filius Coſrois, qui victus fuit ab Antonino Philoſopho, & inter cujus filios *Vologeſem* & *Tiridatem* tandem ſopita eſt diſcordia.

Artavanes eſt *Artabanus*, qui bellum habuit cum *Caracalla*, & tandem occiſus eſt ab Artaſiro Perſa. De hujus *Artaſiri* vel Artaxerxis origine prodigioſa ſi non ridiculoſa refert Agathias. Hunc enim a Patre nobili *Samao*, & a Matre Uxore *Paveci* Coriarii, ſed tamen Aſtrologi, qui illam Sannæo clanculum ſuppoſuerit, præſcius fatorum naſcituri, natum eſſe ſcribit.

Ceterum regnum Arſacidarum duraſſe alii ſcribunt CCL. annos, alii CCCCLXXVIII. ſed facilis calculi certitudo habe-

tur, ſi computentur tempora inter Antiochi Thei & Caracallæ imperium. Moſes autem noſter annos regni Parthorum Regum ſic tantum apponit, prout cum Armenorum Regum temporibus concordant. Præterea de *Regibus Artaxaridarum* vel *Saporis* ſucceſſoribus paſſim invenitur: ut & de Linea *Uſunum Caſſanidarum*; & deinde *Sophiavorum*, quæ usque ad hunc diem floruerat, hiſtorici recentiores plurima habent: mihi nunc non niſi de Parthorum Regibus quædam ſcribendi fuit occaſio.

Jam aliqua de Armenorum Regibus ex Arſacidarum gente pari brevitate annotabo. Horum quidem Catalogum hic meliorem haberi, quam apud alios exiſtimo: nam Hiſtorici Græci & Latini de Arſacidarum in Armenia Imperio vel prorſus neſciverunt, vel ſaltem non ſcripſerunt: ſed Regum originem deduxere ab *Artaxia* Antiochi M. Duce, qui a Domino ſuo deficiens ſe Regem Armeniæ ipſe conſtituerit: ab hoc ortus ſcribitur Tigranes Magnus. Verum rem ita ſe non habere, ſatis hic p. 24. docetur: ubi Genealogia Regum Armenorum ab *Arſace primo* Parthorum Rege & ejus Nepote *Valarſace* primo Armenorum deducta invenitur. Nunc tamen, quantum feſtina lectione fieri poteſt, ſeriem hanc Regum Moſis conferre conabor cum illâ, quæ apud alios Auctores haberi poteſt, licet pauca ſint, in quibus conſenſus inveniatur, nec ego ſingula jam examinanda mihi propoſuerim.

Hoc ab initio mox dicam me in ea eſſe opinione, per *Artaxiam* Ducem Antiochi M. intelligi *Artaxerxem* I. Parthorum Regem, qui Antiochum M. vicit, ſe Parthosque ſuos a Regum Syriæ ſubjectione vindicavit. Hunc Juſtinus Libr. 41. c. 6. vocat *Arſacem*, & dicit: *Hic adverſus Antiochum Seleuci filium centum millibus peditum & viginti millibus equitum inſtructum, mira virtute pugnavit, ad poſtremum in Societatem ejus aſſumtus eſt.* (Antiochus M. fuit Seleuci Callinici filius) Adhuc enim tunc ſub Parthis erat Armenia, atque hujus Artaxerxis filius erat Valarſaces

Ceterum de hoc *Valarſace*, primo ex Arſacidis Armenorum rege, qui poſtliminio res & regnum Armenorum conſtituerat, alii ſcriptores nihil omnino habent.

Nec

Digitized by Google

Nec de *Arſace* ejus filio, Duce licet ſtrenuo & eximio, usquam invenitur.

De *Artaxerxe primo* etiam fruſtra apud alios quæritur, cum tamen, ſi vera ſcripſerit Moſes, maximas res moli⸗tus fuerit.

A *Tigranis* rebus geſtis tota Armenorum apud alios incipit Hiſtoria, licet diverſa à Moſe narrent, ita ut, cui fides aliquando ſit habenda, vix ſciri poſſit.

De ejus filio *Artuaſte*, quem M. Antonius ſceleſte cœpit & occidit, etiam plurima legi poſſunt, hujus etiam a Plutarcho in Craſſo fit mentio, quem adiſis. Hunc ſine prole occubuiſſe ſcribit Moſes: nihilominus legitur apud Tacitum de ejus filio *Artaxia*, qui adverſus Romanos auxiliantibus Parthis res fortiter geſſerat; & de patruo ejus *Tigrane*, ipſiusque ſucceſſore, a *Tiberio* Cæſare poſtea capitis damnato. Sed de his nihil habet Moſes; Verum refert poſt *Artuaſtem* ad regnum veniſſe ejus Patruum *Arſamum*, fratrem *Tigranis* Magni, qui & *Manovazus* dictus eſt. Hunc *Arſamum* puto eſſe *Artuaſtem*, qui Tigrano decollato ſucceſſiſſe ſcribitur: ſed in hac confuſione quis ordo erit? Præterea de *Ariobarzane* Medo, & *Venone* Rege Parthorum ejecto, qui Armeniam ſibi ſubigere voluerat, nihil Moſes habet: & viciſſim alii Hiſtorici, præter Eccleſiaſticos ſcriptores, nihil referunt de Arſami filio

Abgaro, qui tempore Salvatoris Chriſti regnavit. Nec aliquid invenitur de diviſione regni inter ejus filium *Ananum* & Nepotem a Sorore *Oga*, *Sanatrugum*: quæ tamen hic ita narratur, ut *Ananus* regnarit *Edeſſæ*, *Sanatrugus* autem *in Armenia Majori*, quæ etiam partem *Georgiæ* tunc comprehendebat. Opinor, *Ogam* eſſe *Erato*, fœminam illam, quæ dicitur Armenis præfuiſſe; & *Ananum* dici Tacito *Anaxiam* II. poſt cujus, ſine prole, mortem, Parthorum Rex *Artabanus* filium ſuum *Arſacem* voluerat conſtituere Regem Armeniæ in locum *Vononis* a ſe ejecti; atque *Sanatrugum* eſſe *Mithridatem* fratrem Regis Iberiæ *Paraſmanis* ſ. Paraſmanis, qui *Arſacem* hunc occidit, Mithridatemque Regem Armeniæ conſtituit, contentus ipſe ſolo Iberiæ regno. Præterea *Eruanes*, qui hic *nothus* vocatur, erit *Rhadamiſtes* filius Paraſmani, cujus uxor erat pulcerrima & admodum prudens *Zenobia*. Videtur etiam, *Artaxerxes* filius

Sanatrugi eſſe *Parthamiſere*, cum ille legatur Trajano ſe ſubmiſiſſe. Sed ab his tricis difficile eſt ſine lapſu ſe extricare.

Deinde ulterius non procedunt vel Græci vel Latini Scriptores (quantum mihi videre licuit.) Moſes autem continuat Regum Seriem usque ad Tiridatem, qui tempore Conſtantini Magni baptizatus eſt.

Ceterum, qui poſt hæc tempora Armenorum Hiſtoriam ſcire deſiderat, is illam inveniet apud Patr. Calanum, ubi etiam de Haythono, qui ad Tattaros abiit, & Tattarorum in Armenia rebus, multa egregia legere poteſt, & præterea inveniet plurima, quæ in Hiſtoria Eccleſiaſtica fruſtra apud alios quærat. Habui hunc librum, & triſtor mihi eſſe deperditum.

Poſtquam jam paucis Regum Parthorum & Armenorum Catalogum recenſuimus, ad cetera revertimur, quæ in Auctore habentur examinanda.

Pag. 13. Dicitur Arſacem primum ſedem Regiam habuiſſe in civitate *Babel* vel *Baleb*: quæ illa ſit urbs, & ubi, quæritur; cum alii Auctores de illa nihil memoriæ prodant. Juſt. quidem Libr. 41. c. 5. dicit *Arſacem* urbem condidiſſe *Daram in Monte Zapaortene*: hanc *Daram* quidam ponunt non longe a Caſpiis portis. Doctiſſ. Schickardus in *Tarich Perſica* putabat hic reſcribendum *Aſca*. Alii eam *Arſaciam* vocant. Sed Clariſſ. Voſſius dicit, Arſacem plures urbes condidiſſe ſuo nomine inſignitas, & hæc omnia eſſe confuſiſſima. Moſes hic omne dubium nobis tollere potuiſſet in ſua *Geographica Aſiæ Deſcriptione*, ſi illam nunc habuiſſem ad manus, quam tamen propediem cum aliis exſpecto. Interim cum Strabo ſcribat, *Arſacen* prius quibusdam *Dais* cognomento *Parnis*, Nomadibus ad flumen *Oxum*, imperaviſſe, eorum præfecto *Andragora* occiſo, videtur hæc *Baleb*, eſſe celebris illa urbs *Balch*, quæ adhuc hodie eſt illic loci, & quam non ſine magno labore Cingis Chani poſteri ſibi ſubigere poterant, ut in Hiſtoria Tattarorum habetur. Atque hæc *Babel* vel *Baleb* eſt in confinio *Choroſani*, quam regionem Arſacidas tenuiſſe vel ab hoc Moſe conſtat. De nomine autem *Baleb* vel *Balch* hoc addam: Illud ſecundum genium linguæ dici *Balich*, & id ſignificare urbem: inde *Chanbalik*, quod corrupte eſt *Cambalu*, urbs in Chittaja, de qua alibi.

Ce-

Digitized by Google

Ceterum ut inter conſanguineos Parthorum & Armenorum Reges eſſet nominis diſcrimen, conſtitutum erat, ut *Parthus* a regia ſua civitate *Balek* diceretur *Balhavienſis*; & Armenus, etſi ætate junior, retineret nomen *Arſacidæ*, ceu ſcribit Moſes. Juſtinus tamen & alii fere omnes hiſtorici tradunt, Parthorum Reges dictos fuiſſe *Arſacidas*: de Armenis autem nihil tale commemoratur, forte quia neſciverunt hos ab Arſacidarum gente fuiſſe ortos, ut ſupra annotavi: apud Scriptores tamen Orientales hoc obſervari, ſatis notum eſt, ut in vita S. *Gregorii Illuminatoris* videre licet. Hæc præterire non poſſum: Sicut Moſes dicit Parthorum Reges vocatos fuiſſe *Balhavienſes*, ſic in Catalogo Regum eorum, quem habuit ab Joh. Elichmanno Voſſius, vocantur Parthici Reges *Aſpanienſes*, & Arſes dicitur *Aſcan*. Hæc ſane convellere videntur priorem meam opinionem de urbe *Baleh*, maxime cum *Iſpahan* Metropolis Regis Perſiæ hodierna a plurimis dicatur *Aſpahan* & *Aſphaban* vel *Aſſaban*, & in ipſa *Hyerak*, quæ communiter Parthia vocatur, ſita ſit. Verum cum nomen urbis *Iſphahan* recentius ſit, (etſi quidam volunt illam eſſe Aſpam vel Aſpamiam Ptolemæi) & alia ejus nominis origo apud Geographos Perſas inveniatur, adhuc in priori ſententia permaneo, uſque dum meliora doctus fuerim. Dubius tamen fui, unde hac Synonymia nominum *Balhavienſium* & *Aſpahanienſium* orta ſit: ſed vidi, idem eſſe poſſe *Aſſanienſem* ac *Arſaciden*: nam in prædicto Catalogo invenio inter nomina Regum, *Aſſan*, ut *Belas* filius *Aſſan*, & *Guidar* filius *Aſſan*. Ipſe etiam Arſaces primus vocatur filius *Aſcan*: atque ſic nomen Aſſanienſium non deductum eſſe videtur a Sede Regia, ut *Balhavienſe*, ſed Principe gentis, ut *Arſacides*. Præterea in eadem ſerie Regum pauca obſervo Regum nomina, quæ cum aliis Scriptoribus vel hoc Moſe conveniunt: ſed tamen ultimum Parthorum Regem *Artabanum* vocari *Ardaxan*, qui dicitur occiſus eſſe ab *Ardxir Babek*: hunc vocat *Babek* vel *Babek*, quem alii *Perſam* dicunt.

Ibid. De *Bagradio*, qui a *Sombato* Hebræo (de quo ſupra) prognatus eſt, hic eadem referuntur, quæ apud Plutarchum in Craſſo de *Surena*, qui prudentia & fortitudine Romanorum exercitum debellavit: *nempe Surena dicitur genere & opibus clarus, Regi proximus, & cui prærogativa erat antiquitus gentilitia,*

Regi Parthorum deſignato ut imponeret Diadema, & *præterea*, *quod Seleuciam Magnam in poteſtatem Parthorum redegerit*, *cum in murum primus evaſerit*, *hoſteſque ſua manu pepulerit*. Quare facile adducor, ut credam hunc *Surenam* etiam ab hac *Bagradionenſi* Judaica familia fuiſſe: & ſic merito Craſſus dedit Judæo pœnas Judææ debitas ob ſpoliatum Templum Hieroſolymitanum. Jam ſuperius obſervatum eſt, quod ab hoc Bagradio ſuum genus *Georgiæ Principes* ſe deducere adhuc gloriæ ducant.

P. 14. Scribitur *Artaxerxem* genuiſſe *Tigranem Magnum*, & filiam *Arteſanam*, Mithridati Magno deſponſatam. Secus iterum narrant alii hiſtorici, qui dicunt Tigranem Mithridatis filiam *Cleopatram* ſibi uxorem duxiſſe, a qua natus eſt Tigranes junior, à Pompejo captus, cum *Aſtuanes* genitus ſit ab alia Tigranis uxore *Zoſime*. Quicquid ſit, Affines eos fuiſſe conſtat.

Ibid. Dicitur Mithridates Magnus, qui vocatus eſt *διονύσιος*, originem ducere ab alio *Mithridate*, quem Alexander M. præfecit Georgianis. Hic *Mithridates* fuit II. ille, qui Patrem ſuum Ariobarzanem occidit, filium *Mithridatis* I. *Cyri* Junioris Socii contra *Artaxerxem Mnemonem*; cujus Pater *Rhodabates* ſub Dario Notho, & *Artabazes Achæmeniades* primus Ponti Rex, fuerunt.

Pag. 15. De fortuna *Tigranis* ab initio maxima, quæ ſuo favore illum quaſi inebriavit & ita rationis uſum ei faſcinavit, ut poſtmodum res ſuas prudenter agere neglexerit: cum ea dementia eum ceperit, ut putare potuerit felicitatem in principio arridentem perpetuam eſſe aſſociatam comitem, quam tamen reverenter habere ſanæ mentis Heroës ſolent, multa & fere tragica ſcribunt Hiſtorici. Expertus enim eſt, ſed ſero, proprio exemplo, quod erret fortuna volubilis. Domuit hic regnare incepturus *Medos*, *Georgianos*, *Albanos*, & ſubegit præter hos *Meſopotamiam*, *Syriam* atque *Phœniciam*, quæ omnia una cum proprio regno turpiter amiſiſſet, ſi non ſaltem Pompeji M. clementia, eum aliquomodo ſuſtinuiſſet: lege-ſis Plutarchum in Lucullo & Pompejo. Cum adhuc fortuna ei adeſſet, in Palæſtinam etiam abiit, & *Ptolemaïda* obſedit, quare Judæorum Regina *Alexandra* timore percuſſa eum donis maximis delinire feſtinabat, ut ſcribit Moſes p. 15. Hæc clarius tradit Joſephus Antiq. l. XIII. 20. ubi dicit:

Re-

Digitized by Google

Regina Alexandra legatos ad eum cum magni pretii muneribus veniſſe obſidentem *Ptolemaida*, atque rogaſſe: ut amicus eſſe vellet Reginæ & toti Judæorum genti: & eum legatos benigne exceptos juſſiſſe *bene ſperare*. Deinde, quod capta Ptolemaide ſtatim domum reverſus ſit: nam nunciabatur ipſi, Lucullum Rom. Imp. relicto Mithridate Armeniam ingreſſum, & omnia hoſtiliter agere.

Ibid. Splendida ſpolia & Deorum ſimulacra poſuiſſe Tigranem in civitate *Ani*, ubi plurima Templa ædificaverat, ſcribit hic Moſes. Hanc civitatem puto fuiſſe *Tigranocertan*, quam tunc exſtruxit, & omnibus rebus ſplendide ornavit Tigranes, atque etiam Colonos *Græcos*, *Syros*, *Gordienos* (Gorgianos) illuc deduxit: quam mox deinde Lucullus cepit, & ſolum remittendo peregrinos incolas ad propria, deſolavit, victo prius Tigrane, cæſis multis millibus ad urbem in montibus, victoria tali, cui parem non vidiſſe ipſum Solem, quidam ſcribunt: nam Lucullus quinque ſolum ex ſuis deſideratis tantam hoſtium vim debellavit, videatur Plutarch. Urbs altera *Toran* forte eſt *Artaxata*, quam ſuaſu Hannibalis Pœni in Armenia profugi condidiſſe *Artaxiam* Regem ſcribit Plutarch. Hic Rex videtur eſſe *Artaxerxes* Parthorum Rex, Valarſacis primi Armenorum Regis Pater: nam tunc Armenia Parthiæ pars fuit: temporum enim ratio id innuit, quia hæc facta ſunt ſub *Antiocho Magno*; quem primo vicit, poſtea fœdere vinxit ſibi *Artaxerxes*: vide ſupra. Hanc urbem ex ruderibus poſtea exſtruxit alter Artaxerxes Sanatrugi filius p. 21. ſita creditur ubi nunc eſt *Aberener*, non multum diſtans *Naxivano*. Ceterum quod hic ſcribitur p. 14. Artaxerxem Tigranis Patrem attriviſſe Parthorum imperium, hoc Plutarchus attribuit huic Tigrani.

Ad p. 16. De Gabinio narrat Plutarchus in *Antonio*: *quod Ptolemæus decem millium talentum mercede illum impulerit ad ſe reducendum in Ægyptum, & quod plerique Duces refragati fuerint, Gabiniusque ipſe dubitaverit ſuſcipere bellum, quamvis vehementer decem iis millibus talentum mancipatus; donec Antonius rerum avidus magnificarum, & Ptolemæo gratificari cupiens, induxerit Gabinium ad hanc expeditionem.* Verum quis fuerit *Mithridates* filius Mithridatis Magni, quem captivum ſumſerat Pompejus. & liberum una cum

Digitized by Google

cum urbe *Maſac* reddiderat Gabinius, apud alios Scriptores non invenio. Habuerat quidem M. Mithridates filium *Mithridatem* Regem Colchidis, ſed ipſe eum occidit. Nec eſſe poteſt *Pharnaces* alter ejus filius, Patri hoſtis ad internecionem, & Pompejo amicus: neque hunc a Julio Cæſare provinciis donatum, ſed exutum legimus. Mithridates autem ille, qui Rex Boſpori a Cæſare, non Julio, ſed Claudio deſignatus eſt, hæc tempora non attingit. Ceterum urbs *Maſach* Cappadociæ, quæ Cæſarea dicta fuit a Tiberio Cæſare, eſt illa, in qua quondam Baſilius Magnus erat Epiſcopus.

Ibid. Hic non dubito, quin præcipitantia erratum fuerit a Doctiſſ. Interprete, cum nec illum nec Moſen latere potuerit, Parthorum Regem viciſſe M. Craſſum, & Tigranis res jam a Lucullo attritas fuiſſe, ut niſi Pompejus eum erexiſſet, actum de eo fuiſſet. Præterea apud Plutarchum in vita Craſſi nominatur Armenorum Rex, non ut hoſtis Romanorum, ſed Socius, atque dicitur non *Tigranes*, cujus in Pompejo & Lucullo apud eum mentio fit, ſed *Artuaſtes*, qui erat ejus filius. Quicquid ſit, meretur ipſe Moſes legi in Majoribus Commentariis: nam in hoc Compendio tam ſubito collecto, non potuit aliter fieri, quin plurima ſint vel omiſſa, vel ordine præpoſtero deſcripta, cum ego impatiens moræ, interpretationem urgerem, quam deinde emendare ex ipſo Moſe conſtitui, quem tunc habui.

Pag. 17. De *Pacori* favore erga Antigonum, quia promiſerat ipſi mille talentum, & quinquaginta mulieres, vide Joſeph. l. XIV. c. 24. De fuga etiam *Herodis* & morte *Phaſaeli*; atque quod Antigonus *Hircano* auriculas propterea amputaverit, ut ſi aliquando reſtitutus fuerit a Parthis, populo id poſtulante, non idoneus haberetur ad Pontificatum propter hoc vitium, lege iterum Joſeph. ibid. c. 5. De *Bazaprano*, quem *Bazaphranem* vocat, habetur l. 20. c. 8. Sed Hircanum in Parthiam adductum fuiſſe ſcribit Joſephus. Hic Moſes narrat eum ad Tigranem delatum eſſe.

Præterea *Pacorus*, qui hic dicitur filius *Syriæ* vel Aſſyriæ cujusdam Regis, apud Plutarch. in Craſſo vocatur filius Regis Parthorum *Orodis* vel *Arſis*: idem affirmat Juſtin. l. 22. 4. qui ſcribit ejus mortem Patrem ſupra modum luxiſſe.

Ibid.

Ibid. Moſes narrat Hircanum aufugiſſe ab Armenia regnante *Arſamo* fratre *Tigranis*, idque auxilio *Enani Bagradionenſis*, qui gentilis fuit Hircani, & quod propterea plurima paſſus fuerit Enanus. Joſeph autem Antiq. L. XV. c. 2. tradit eum dimiſſum fuiſſe a *Phraate* vel *Arſaviro*, inducto litteris & donis Herodis Magni per legatum *Samarallam*, quod tamen magis aſtutia quam pietate feciſſe Herodem, ibidem obſervat Scriptor accuratus Joſephus,

Pag. 18. De ortis diſſidiis poſt *Phraatis* vel *Arſaviri* mortem, jam ſupra annotavimus. De *Arais* vel *Arlis* vide apud Geographos paſſim: vocatur etiam hodie pars *Chorosani*, *Ciſtan* vel *Kuſti Koroſan*.

Pag. 19. Quicquid hic habet Moſes de Regis *Abgari* morbo atque ejus *ſupplice Epiſtola ad Chriſtum*; *Chriſtique reſponſione ad illum*, qua Salvator Noſter docet, ſibi ipſi cetera occupatiſſimo venire ad illum jam non licere, ſed velle unum ſuorum ad illum mittere, cujus dictis ſi fidem dediſſet, ſanus futurus eſſet; ſcribit id ipſum etiam *Euſebius*, & de *Thaddæi* ad Abgarum adventu narrat, exemplarque etiam epiſtolæ Chriſti ad Abgarum adducit, quod apud illum vide. Præterea idem teſtatur, hujus rei fide digna teſtimonia ſuo etiam-num tempore in publicis *Edeſſæ Archivis* ſuperfuiſſe; hoc ipſum Moſes dicit, qui ex archivis Edeſſenis plurima ſe collegiſſe fatetur, quam urbem ipſe Abgarus condiderat, & Bibliothecam Archivaque ibi conſtituerat. Scio *Gelaſium* Papam Romanum, hiſtoriam de mutuis literis inter Chriſtum & Abgarum inter Apocrypha deputare. Sed an ficta & falſa fuerint hæc omnia, ut plurima quidem eſſe ſolent, fortaſſis aliquis dubitaverit: ſed ſaltem mirari convenit, conſenſum Euſebii & Moſis hac in re: & præſertim, quomodo hic Moſes tam perfricta fronte auſus fuerit imponere & fucum facere ſuis Armenis, jam Chriſtianis, qui in rei veritatem facili opera inquirere potuiſſent, integra tunc temporis urbe Edeſſe & Bibliotheca. Quid igitur de his ſtatuendum ſit, aliorum eſto judicium, ſufficit mihi relata retuliſſe. De *effigie* autem *Chriſti*, *pallio impreſſa*, & ad Abgarum miſſa, quæ referunt Evagrius, Damaſcenus atque Nicephorus, & quæ fuerit qnaſi origo cultus Ima-

maginum, nihil ſcribit Doctor Moſes. Ceterum deinde a fide Chriſti abiverunt Armeni uſque ad tempora *Tiridatis*.

Pag. 23. *Valarſaces* condidit urbem *Vagarſciabat* eo in loco, ubi rudera urbis *Vargidis* ab *Eruante* Tigranis primi Patre exſtructæ, erant. Hic *Tigranes* fuit natione *Armenus*, non *Parthus*, de quo p. 11. ſcriptum invenitur. Ceterum de urbe *Vagarſciabat* vere nunc dici poteſt.: *Jam ſeges eſt, ubi Troja fuit*: nam agri certe coluntur, & fruges ibi naſcuntur, ubi olim tanta floruerat civitas, ex qua nihil videtur reliqui, præter *templa tria* ſub monte *Ararat* vel *Maſſis*: Igitur Turcis vocatur *Ita Kliſia*, i. e. *tria templa*. Primum eſt *Ezmiazin*, quod ſignificat *deſcenſum filii unigeniti* (ſc. Dei) *incarnati*, ubi jam ſedes Patriarchalis. Alterum S. *Ripſima*. Tertium S. *Cajana*: quæ, Virginibus Martyria paſſis, dicata ſunt, de quibus in hiſtoriis Eccleſiaſticis plura; ut & de *Tiridatis* converſione, & *Gregorii Illuminatoris* vita; ſingula recenſere non vacat. Hoc fidentius aſſevero, mihi oſtenſum fuiſſe ſub radice Montis Ararat *puteum* ſatis profundum, ubi delituiſſe dicitur plurimos annos hic *Gregorius*; a vetula quadam muliere tenui cibo nutritus, dum tyrannidem Tiridatis nondum ad fidem Chriſtianam converſi fugeret.

Hæc ita perfunctorie collecta annotavi. Si quis autem ſtudioſus fuerit hiſtoriarum Orientalium poſt hæc tempora, inveniet plurima ſcitu certe digna apud Calanum ſæpius laudatum.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ
AD
SERIEM PRINCIPUM
GEORGIÆ ET IBERIÆ.

DE nominibus *Georgiæ*, *Iberiæ* & *Carduelæ* unde derivata ſint, aliqua in primis notare volumus. Plurimi Scriptores ſunt, qui *Georgiam* putant ita dictam a Sancto quodam *Georgio Equite*; & rationes adferunt, quod Georgiani eum in magno honore habeant. Verum in Georgia neſcitur de hoc Sancto, niſi quantum innotuit illis, qui Hieroſolymis aut in aliis locis fuerant. Et omninò, ſi illum in honore habeant, tamen hoc non magis faciunt, quam *Romani*, *Rutheni*, *Armeni* &c. apud quos etiam ejus imago nunc ſculpta, nunc picta proſtat videnda: quamvis maximam partem adhuc ignotum ſit, quis & unde Sanctus ille Eques fuerit, atque inter Doctiſſimos quoque diſputetur, quid Equitis hujus figura deſignare aut ſignificare debeat. Præterea illi, qui *Georgiæ* nomen ab hoc Georgio deducunt, non attendunt, quod Antiquiſſimi Geographi ad Mare Caſpium & in Monte Caucaſo ponant incolas *Comanos*, *Caduſios*, *Iberos*, *Georgos*, *Moſchos*, cum adhuc de tali *Heroë* ne fando quidem auditum eſſet. Alii autem Hiſtorici rationem nominis *Georgiæ* dant, quod *colant Georgii exerceantque agros*. Verum etiam *Taurica Cherſoneſus* propter eandem cauſam & copioſum frumenti proventum dicitur *Georgia* quibusdam Geographis. Ceterum ipſi *Georgiani* ſuam *Georgiam* vocant *Gurgiſtan* vel *Gurdiſtan*: etiam ſic a Turcis, Perſis, Tartaris appellatur: dicitur quoque *Carduel*, *Iviret* vel *Iberia*. Hæc cum conſidero, nomen hoc altius ſuam originem ducere, atque ab ipſa antiquitate petere ſuſpicor. Noti enim ſunt Montes *Gordiæi*, *Carduchi*, *Corduæi*, *Kordu* &c in quibus arca Noæ ſcribitur hæſiſſe (vid. ſupra) quique dicuntur eſſe in terra *Ararat*, quæ eſt pars Armeniæ ad Septentrionem: & cum hæc

regio ſit meridionalis *Georgiæ*, atque illis Regibus Armeniæ fuerit ſubdita, qui etiam Georgiam & Iberiam obtinebant, ut ſuperius obſervatum eſt; veriſimile videtur *Gordia* vel *Gorgia* nomen antiquitate par eſſe nomini *Gordiæo*, unde *montes Gordiæi* dicti ſunt, licet Græci & Latini Auctores ad genium ſuæ linguæ id deflexerint, atque ſcripſerint pro *Gordia* vel Gorgia *Georgia*; cum & Aſiatici ſecundum ſuum labium idem efferant *Gurdi* vel *Gurgi* unde *Gurdiſtan* vel *Gurgiſtan*. Deinde nomina *Cardiæi*, *Carduchi*, *Cardu* inveniuntur adhuc in nomine *Carduel*, quo provincia Georgiæ appellatur, ubi Teflis primaria urbs eſt. Et hi forte etiam ſunt *Caduſii* illi apud veteres ſatis cogniti: nam dicuntur *habitaſſe ad Septentrionalem Mediæ partem, & montanas aſperas atque frigidas habuiſſe ſedes* ſcribit Strabo. Præterea hos Caduſios cum Medis continua geſſiſſe bella legimus usque ad Cyrum, quo imperante, Perſarum jugum ſponte ſubiverant: deinde rebellarunt ſub Artaxerxe Longimano, vid. Plutarch. in Artaxerxe. Præterea quod limites ſuos *Georgia* olim ulterius extenderit, quam jam clauſa inter montes Caucaſi, patet ex Joſepho Ben-gorion, qui mare Caſpium vocat *Georgian*, cum ſcribit: *Roſſi habitant ad fluvium Cyrum, qui defluit in Mare Georgian, id eſt Caſpium*: unde etiam Armenicè vocatur *Verganum Mare*, vel *Veryanum*, quod venit a nomine *Veriam*, *Georgiâ* Armenice ita dictâ. *Iberia* vocabulum quin affine ſit *Imiret*, neſcio cur dubitandum: nam ſicut Latini nomina provinciarum in *ia* terminant, ſic Georgiani eadem in *Et*, ita ut cum Latini dicant *Francia*, hi pronunciant *Franket*, *Ruſſia*, *Ruſſet* &c. & quod *m* & *b* facile commutentur, vel ex Sacra Scriptura notum erit: nam Rex Babyloniæ, qui uno loco vocatur *Merodach*, altero *Berodach* vel Brodach dicitur. Cæterum qui Reges vel Principes in his oris regnaverint a temporibus usque Parthorum, ex hac hiſtoria & priori Commentariolo ſatis patet: nempe *Bagradiouenſes*, qui originem debebant *Sembato* Principi ex Judæis cum Rege *Manaſſe* captivo: ſed de his plura poſtea. Verum cum conſtet has terras cultas omnino fuiſſe ante Parthorum imperium, libet ſcire, quæ natio illa regna prius tenuerit: nam ſatis patet hæc loca & hunc populum nec *Aſſyriis*, *Medis*, *Perſis* aut *Græcis* fuiſſe ſubjectum, ſed & liberum ſibi vixiſſe, & vicinos ſuos quam

fe-

Digitized by Google

ſæpiſſime afflixiſſe. Quædam autem, quæ huc faciunt cum conſiderare voluerim, video nuſquam melius de his nos doceri, quam in S. Scriptura ſi aliqua ſaltem ejus loca cum aliis hiſtoriis collata obſervaverimus. Inter cætera inprimis nunc occurrit Ezech. c. 27: 13. ubi mentio fit *Meſech* & *Tubal*, & commercii eorum: ſic c. 22. 26. de *Meſech* & *Tubal* & omni ejus multitudine narratur; præterea alibi. Atque vix non invenimus *Meſech* & *Tubal* conjungi ut vicinas gentes. Joſephus per *Tubal*, quos *Thobel vocat*, dicit intelligi *Iberos*, hos iterum Strabo appellat *Tibarinos*, & dicit eos attingere Moſchicos & Colchicos Montes. *Meſech* autem, vel ut veteres ſcribebant *Moſoch*, unde *Moſchos* deducunt Interpretes, habitabant *montes moſchicos*, Iberiam ab Armenia & utramque a Colchide dividentes. Præterea videre licet, non aliter ac Propheta Ezech. conjungit *Meſech* & *Tubal*, ſic Herodotus *Moſchos* & *Tibarinos*, ut in ejus Thalia & Polyhymnia obſervari poteſt, ubi dicit: illos eadem arma, eosdemque Duces habuiſſe; unde vicinos fuiſſe oportet, ipſa etiam nominum ratione hoc docente: nam ut a *Meſech* vel *Moſoch* facile nomen *Moſchi* derivatur; ſic a *Tubal* Græci fecerunt *Thubar* vel *Thibor*, quare *Thibari* apud Euſeb. & Strabonem; & creſcente voce *Thibareni*. Oſtendit etiam Doctiſſ. Bochartus a *Tubal* fieri *Tubar* vel Tibar; Sicut a *Belial Beliar*, & a *Phicol Phicor*. De origine nominis *Meſech*, *Moſoch* vel *Maſach*, atque Monte *Maſſis* ſupra ſcripſimus. Plutarchus etiam in Pompejo dicit, *Iberos habitare ad Montem Moſchum, & ad Pontum Euxinum pertingere.* Paucis me expedire conabor. Per *Tubal* vel Tibarinos intelligitur *Iberia*; per *Meſech* vel Moſchos autem *Georgia* indicatur, cujus limites latius olim patuiſſe ſupra jam oſtenſum eſt, & ab *Ararat* atque Cappadocia aliqua comprehendiſſe. Cæterum quod Propheta dicit: *ab his populis afferri mancipia*, hoc etiam hodie in oriente ſatis uſu venire dolendum: vix enim ſcio ab ulla gente tam fertilem eorum proventum fieri; quam ab hac; maxime cum Perſæ, Turcæ, Tattari, & qui non? quaſi inhient pulchritudini puellarum regionum illarum. Antequam ad cetera pergimus, merito videbimus, quid in Pſal. 120: 7. David velit, cum dicit: *Hei mihi, quod peregrinatus ſum in Meſech, & habitavi in Tabernaculis, Kedar*, Hic obſervamus jam conjungi *Meſech* & *Kedar*, ut po-

pulos vicinos, atque ſic non poſſe eſſe illos *Meſech*, qui apud Prophetam ponitur cum *Tubal*. Quare cum alii ſint, quærendum quinam illi? Hic autem Interpretes variant, etſi de *Kedar* ſatis conveniant, quod ſit natio in Arabia ex *Kedari* filii Iſmaelis poſteris, Gen. 25: 13. quæ etiam *Cedarini* Lampridio, & *Cedrai* Plinio dicuntur, ſed per *Meſech*, quidam intelligunt nomen *temporis*, alii nomen *loci*. Si *hoc*, tunc Meſech erit populus quidam inter *Cedarinos Arabas* vel *Scenitas*, qui ſub pellibus, quibus tentoria obtegebant, habitabant, atque ideo ita dicti ſunt: nam Chaldæis & Syris *Meſath*, & Arabibus *Meſech* eſt *pellis*: non autem a *Meſech* filio *Japhet*. Forte tunc fuerat apud illos David, (ſi modo eſt auctor hujus Pſalmi) quando fuit in Deſerto *Paran*, 1. Sam. 25: 1. Qui autem per *Meſech* non locum, ſed *tempus* ſignificari putant, certiorem videntur ſententiam tueri, cum per *Meſech* intelligatur *tempus prolongatum & diuturnum*, atque ſenſus verborum erit, non hic: *hei mihi, quod ſim in Meſech*; ſed: *hei mihi, quod peregrinatus ſum diu*, vel, ut Aquila habet, *advena fui longo tempore*; nam Hebræum vocabulum *Meſech* proprie eſt *trahere*, & translatum, *differre*, *protrahere* ſignificat: quo ſenſu etiam Latine dicitur, *trahere bellum*, *trahere comitia*. Sic etiam Pſalmo 85: 6. in hoc ſenſu adhibetur idem vocabulum *Meſech*, cum dicitur: *Trahes iram tuam*, i. e. prorogabis *a generatione in generationem*. Atque ſic *Meſech* eſt *ſpatium*. *longitudo*, *tractus temporis*. Verum, ſunt & illi, & quidem Doctiſſimi, qui Davidem hic proverbiali ſermone uti velint, atque per *Kedar*, apud quos *Meſech*, i. e. *diu peregrinatus eſt*, intelligi *homines crudeles & pravos*, ſicut erant *Kedarini*, *Kedaro* nati, qui fuit feri Iſmaelis ferus filius: ut jam David loquatur, ſicut nos dicere ſolemus: *Vivimus inter Barbaros*, vel *inter Turcas & Tattaros*, cum intelligimus *homines immites*. Et forſan David ipſos Sauli Aulicos ſic vocabat, vel propriam gentem; & ſenſus erit *vivo diu inter meos, ut inter peſſimos Barbaros*.

Præterea exſtat Jer. 51: 27. *Annunciate Regibus Ararat*, *Mini & Aſcenaz*. Breviter nunc de his dicam, cum ſuperius de illis ſcriptum ſit: Per *Ararat* intelligi videtur Armeniæ Septentrionalis pars, quæ etiam *Gordiam* vel *Gorgiam* continebat. Per *Mini* Armenia proprie dicta, & præterea reliquæ regiones

ad

ad pontum usque, quas Rex *Aram* olim ſubjugaverat & Græci quoque vocaverant *primam*, *ſecundam* atque *tertiam Armeniam*, vid. ſupr. p. 7. Etſi *Armenia* vocabulum non eſt conflatum ex *Har-Mini* i. e. *Mons Mini* vel Montana *Minyadis* ceu jam ſupra obſervatum eſt; ſed oritur à Rege *Aramo*, à quo dicta eſt *Armenia*, vid. p. 7. Et per *Aſcenez* indicantur ceteræ gentes *Pontica* vel *Phryges*, vid. Boch. atque vero eſt ſimile, ipſum Pontum ab Aſcenez cepiſſe nomen, ut in primis dictus fuerit *Pontus* ἄξενος, qui poſtmodum *Euxinus* in contrarium verſa ſignificatione vocatur: nam cum *Axenos* ſit *inhoſpitalis*, arguere videbatur crudelitatem & ſævitiam accolarum in hoſpites, quos tamen & Scythas ab hoc crimine ipſe Homerus abſolvit Iliad. v. 1. & præter eum alii plurimi. Ceterum cum Propheta in hoc capite agat de *Babylone*, quæ occupanda erat, nominat gentes contra illam pugnaturas, & in his *Ararat*, *Mini* & *Aſcenaz*. Scimus jam ex hoc Moſe p. 11. *Cyro*, qui Babylonem cepit, amiciſſimum fuiſſe *Tigranem* I. Armenorum Regem cujus fortitudine cecidit Aſtyages Medorum Rex; quare exiſtimare licet hunc Tigranem omnino etiam adfuiſſe Cyro in expugnanda Babylone atque ſic unum ſaltem eſſe ex iis, quos Propheta hic compellat.

Ceterum Ezech. 38: 2. habetur. *Pone faciem tuam contra Gog in terra Magog, & Principem Roſſ, Meſech & Tubal.* Jam etiam de hoc loco, & duplici dicti hujus interpretatione ſuperius mentio facta eſt: ubi quoque oſtenſum eſt, per *Roſſ* intelligi *Scythas Araxenos*; per *Meſech*, vel *Moſoch* populum *Moſchum* ad Montes Moſchicos habitantem; & per *Tubal* Tiberos vel *Iberos* ſignificari: hi enim omnes tunc paruerunt imperio *Regis Gog Scythæ*, qui fuit etiam eorum *Princeps*, & regiam ſedem habuit in *terra Magog* vel *Scytharum*: propterea jubetur Propheta contra illum potiſſimum *ponere faciem*, & obfirmare vultum ad prædicandum, quia ſub ejus Dominio ceteri tunc fuerunt. Quod autem *Magog* fuerint *Scythæ*, ſatis conſtat: Joſephus etiam Antiq. l. 1. c. 7. ſcribit, a *Magog* Japheti filio ortos *Magogas* eſſe, & vocatos aliter *Scythas*: præterea Hieropolis a Scythis ad Syriam excurrentibus capta, vocabatur, teſte Plinio, *urbs Magog*. Cum autem in Caucaſo ad ejus radices habitarent hi *Magogæ*, ab illis ortum videtur nomen *Go-*

ga-

Digitized by Google

rarenæ, quæ eſt pars Iberiæ. Præter hæc multa alia ſunt, quæ eorum memoriam arguunt. *Caucaſus* etiam dici quaſi *Gog-haſan*, i. e. *Gogi Munimentum*, putatur. Mihi, ſi fatear, opinio oritur, pace tamen Doctiorum, *Georgiam*, cum etiam *Goria*, *Codia*, *Gordia* efferatur (vid. apud Elmaſ. in Hiſt. Sarac. l. I. c. 1. mons *Gudi* vel *Gordi*) eſſe dictam quaſi *Gogiam*: nam latius Georgiæ & nomen & fines olim patuiſſe, quam hodie, in confeſſo eſt, & breviter ſuperius oſtenſum. Et præterea in hac opinione quaſi confirmor, quod provincia Georgiæ *Cachet* rectius dicatur *Gaget*, quæ eſt terminatio linguæ earum gentium, ſc. & atque reſpondet Latinorum *ia*; igitur *Gaget* eſt *Gagia* vel *Gogia*, ſicut *Ruſſia*, *Ruſſet* vide ſupra Quicquid autem hujus ſit, notum eſt *Scythas* non tantum ad montem Caucaſum manentes, vocatos fuiſſe *Magogas*; ſed etiam illos ita dictos, qui alibi locorum habitabant, ut in illa *Scythia*, quæ jam *Tattaria Magna* appellatur. Hi enim *Scythæ* vocati ſunt *Mogali* vel *Mungali*, & ita illos dictos ſcribit gravis Auctor Abulgaſi Chan in Hiſtoria Tattariæ nondum edita, a *Mongul* Japheti progenie. Tattaros etiam antiquitus vocatos fuiſſe *Mogalos* narrat Haytho. Obſervare libet, idquod Tattari dicunt *Mogul*, vel rectius *Mung'l*, hoc Perſas & alios *Magor* efferre, pro *Magol*, eadem orthographia, ut ſuperius *Tubal* & *Tubar*. Sic jam vidimus Scythas a Japheto ortos, *Magogas* & *Mongalos* vocari. Ceterum in hoc abiit Tattarica Hiſtoria ab aliis, quod illa ſuum *Mongul* vel *Mung'l*, a quo *Mongali* vel *Mogoli* nomen ceperant facit abnepotem Japheti. Interim idem adhibet *Etymon* vel ſignificationem nominis *Mungul*, quam docti afferunt nominis *Magog*. Nam eruditi derivant *Magog* ab Hebræo *Mug* vel *Magag*, unde *Hithmageg*, quod ſignificat *anima & corde diſſolvi atque contabeſcere*. Sic adhibetur Pſal. 107: 26. Et Tattarus deducit vocabulum *Mung'l* a *Mun*, quod ſignificat *triſtem* & *ſeverum*, *qui animi triſtitia cor rodit ſuum*, *atque præ dolore & anxietate contabeſcit*. Præterea & hoc noto, quod *Magog* putatur eſſe *Prometheus*, ille qui Caucaſo affixus fuiſſe fingitur: nam ipſe & ejus poſteri ibi ſuas fixerant ſedes; deinde eum *hepar* vel *cor* habere, quod aquila eroderet fabulantur: Sed hoc ſignificari voluerant, *illum morbum* Promethei, quo vulnerabat quaſi cor ſuum ob *curas &*

ſol-

Digitized by Google

ſolicitudines plurimas, atque hoc ortum videtur ab ipſo nomine *Magog*. Porro etiam Prometheus dicitur Pater *Scythæ* & *Scytharum*. Sed de his Cl. Bochart. l. 1. c. 2.

Tandem cum Joſeph. Antiq. l. I. c. 7. ſcripſerit: *Magog Magogarum a ſe denominatorum fuit Auctor, qui etiam vocantur Scythæ*: merito quæritur, unde nomen *Scytharum* ortum ſit. Tota fere eruditorum cohors *Scythas* dictos affirmat a *Skutha* vel *Skiuta*, latine *ſagittare*; quia hæc natio arte ſagittandi ſuper alias gentes ſane omnes eminuerat, & propterea Scythæ Herodoto dicuntur *Arimaſpi*, h. e. *Coclites* vel *Unoculi*; *nam cum eſſent jaculandi peritiſſimi, uno oculo connivebant, ut altero collimarent rectius*. Thucydides quoque eos vocavit ἐξ *equis Sagittarios*. Vid. Conſult. B. Lundii Zamolxin c. 1. p. X, XII, XIV. & Boch. *l.* 3. c. 13. Hæc derivatio etſi ſatis ſit commoda, interim tamen hoc addo: Cum etiam nos *Sueci* dicti ſimus *Scythæ*, vel ſaltem a *Scythis* oriundi, atque antiquitus vocati ſimus *Suid*, *Suithi*, unde ipſa *Suecia*, *Suithi-od* i. e. *Sviorum divio* dicta eſt; (de cujus nominis origine vid. maximos viros Rudbeck & Lundium) & præterea quoniam in Aſia adhuc uſu veniat, *Suecos* appellari *Suith*, ſed ſæpius *Scuith* (loco litteræ *ſin* adhibendo *Schin*, & pronunciando *ui*, non ut diſtinctas litteras, ſed unitas ceu *y*) quod *Scuith* cum Græci ſuis litteris ſcribere vellent, non commodius potuerant, quam hoc modo Σκυθ, exprimere; unde poſtmodum Latinorum *Scytha* natum: igitur videntur mihi valde affinia eſſe hæc nomina, *Suith* vel *Scuith* Aſiaticorum cum *Scyth* Græc. & Latinorum; & *Suithia*, *Suithi-od* quaſi *Scuithia* noſtratium, cum *Scythia* rurſus Græc. Latinorum. Atque ſic *Scythæ* & *Sueci*, ut genere non fuerunt diverſi, ſic nominibus antiquitus non erant admodum diſtincti. Hoc fidenter affirmare poſſum, quod Tattari ad montem Caucaſum & juxta littora Maris Caſpii habitantes, qui vocantur ab aliis *Dageſtani*, i. e. Montani, etſi ſe ipſos nominent *Komok* vel *Kaitak*, mihi dixerint, ſe non eſſe Tattaros, (nomen enim *Tattar* eſt recentius) ſed ortu eodem nobiſcum, & eſſe *Scuithas*. Quod ipſum convenire videtur cum noſtris antiquis Scriptoribus: nam in *Hervara Sagu* habetur: *Antequam Tirkar & Aſianer venerunt in Sueciam* &c. (vid. Doctiſſ. Verelii notas ad eundem locum.) Illic enim loci ſunt etiam illi, qui appellantur *Tirkelu*, ut & urbes, *Tarku*,

ubi eorum *Schemchal Princeps* habitat, & *Tirck*, quæ eſt in iisdem finibus Ruſſicæ ditionis. Obſervandum eſt, illos nomina populorum denominativa terminare in *lu*, ſicut nos eadem in *ar* & *er*; igitur quod nos dicimus *Tirkar*, illi pronunciant *Tirklu* vel *Tirkelu*. Præter hæc, ſi hiſtoriarum monumenta contulerimus, videbimus in iis alternatim adhibita fuiſſe nomina *Suith* & *Scyth*; atque *Suithi-od* & *Scythiam*: nam Ericus Upſalenſis ſcribit, citante Celeb. Lagerlœf in Suec. ant. & nov. p. 75. *egreſſas e Scythia, gentes ſtirpis & poſteritatis Japhet, hanc regionem* (Sueciam) *ingreſſas eam Scythiam nominaſſe*: hic *Suecia* vocatur *Scythia*. Apud Eddam autem, quem citat Conſult. Lundius in Zamolxi c. 1. §. 4. ſic habetur: *Inde in Sueoniam perrexit Odinus, cujus Rex erat Gülfo, ad quem cum fama nominis Aſiaticorum perveniſſet, qui Æſir dicebantur; obviam illis progreſſus eſt, in regnum ſuum omnes invitavit, ſine mora ſequuti ſunt. Odinus ibi amœnum & fertile ſolum deprehendens, locum civitati elegit, quam etiam nunc appellant Sigtunam: thadan, inquit auctor, for Othin i Suithi od; Inde in Sueciam profectus eſt Odinus.* Jam noſtra Suecia in hoc loco vocatur *Suithiod*, quæ in ſuperiori dicta erat *Scythia*. Ex adverſo viciſſim Aſiæ regiones, quæ a Græcis & Latinis Scriptoribus *Scythia* dicuntur, eædem noſtratibus vocantur *Suithiod*. Ex Herodoto enim & aliis, *Scythas* ſcimus habitaſſe circa paludem Mæotidem & pontum Euxinum, atque ulterius. Vide etiam Cornelium Nepotem in Miltiad. de expeditione Darii contra Scythas. Lucanus quoque libr. II. canit. *Pigra palus Scythici patiens Mæotica plauſtri.*

Sed iterum a Sturleſonio obſervant Clariſſ. viri Lundius & Lagerloef, totam illam orbis partem, quæ a Ponto Euxino Septentrionem verſus immenſo ſpatio ſe exporrigit, appellatam fuiſſe *Suithiod hin mykla*, h. e. *Suioniam Magnam*. An autem ejusdem ſint originis *Scyth* & *Suith*, hoc non diſputo, nec doctiores docere poſſum; ſed ſaltem affinia eſſe nomina, oſtendere conatus ſum: atque, licet a facili commutatione litterarum ſecundum diverſam earum pronunciandi rationem apud Orientales & Occidentales, nonnihil commutata ſint, poſſe tamen pro cognatis haberi.

Ceterum inter Scythas vel Magogas in Aſia numerantur etiam

etiam *Maſſagetæ*. De eorum ſedibus non nunc ago. Sed etſi cognitum mihi ſit quosdam Geographos ponere illos ad Orientalem plagam maris Caſpii, atque vel ibi, ubi hodie ſunt *Turcomanni*, aut ubi *Zagathaii*, habitaſſe exiſtimari: tamen Herodotum ſequor, qui eos circa *Araxin* fluvium locare videtur, licet hic nonnihil obſcurior ſit. Verum in deſcriptione originis Araxis, quam habet, ubi de cæde Cyri Perſarum Regis a Maſſagetis facta narrat, non videtur illâ *Oxum* aut aliud flumen intelligere. Juſtinus adhuc clarius hanc rem explicat l. I. c. VIII. quem vide. Si hæc ſententia ſibi conſtet, exiſtimo nomen *Maſſagetarum*, etiam eorum originem indicare, ut dicti ſint quaſi *Maſſagogitæ*: nam non inſolens fuit Getis, ut eorum nomen aliquid ſecum attraheret a vicinis populis; ut *Tyri-Getæ* vocati ſunt, qui proximi fuerunt ad *Tyrum fl.* Straboni; & *Thraces Getas* appellat Herodotus proximos *Thraciæ*. Sic hi *Maſſagetæ*, de quibus nunc eſt ſermo, ita dicti videntur, quia in vicinia fuerunt populis *Maſſianis* vel *Moſchis*, de quibus prius dictum eſt. Quid multis? Satis conſtat vel ab ipſo Herodoto, Maſſagetas circa Araxin fuiſſe, cum ſcribit, *Scythas nomades qui incolunt, cum a Maſſagetis bello vexarentur, Araxe trajecto in Cimbriam abiviſſe.* Atque hi fuere *montani Scythæ*; qui ab Araxi ad Caucaſum prius habitaverant. *Campeſtres* autem ad paludem Mæotidem & Tanaim atque ultra conſedebant. Deinde vicini eorum *Sacæ*, qui etiam *Scythæ* erant teſte Strabone libr. II. *optimam partem Armeniæ occupabant, & a ſe Sacaſenam nominabant, & usque ad Cappadoces eos, qui Pontici dicuntur, & ad Mare Euxinum progreſſi ſunt*: ut vel hinc clarum ſit, quare Propheta Ezech. 38: 2. vocet *Gog* Regem Scytham *in terra Magog* ſive Scytharum, *Principem quoque Roſſ, Meſech & Tubal.* vid. ſuperius. Quicquid ſit, illam gentem, cujus Regina *Tomyris* vicit Cyrum, Juſtinus vocat *Scythas*, Herodotus *Maſſagetas*; quia ejusdem erant nationis: igitur Lucanus *Maſſagetem Scythicum* dicit, atque Alexander M. portas Caſpias (quæ hodie dicuntur *Derbent*, quod proprie ſignificat *portas ferreas*, ut etiam Haitho obſervat) ſtruxit, murumque poſuit a Mari Caſpio ad Pontum Euxinum (cujus rudera adhuc viſuntur) contra populum, quem non ſubegit, & hi fuerunt indomiti Macedonibus *Scythæ* & *Maſſagetæ*. In hiſtoria Tattarica Abul-

gaſi Chani ſcribitur, Alexandrum hunc murum oppoſuiſſe populo *Ja-dſcbyt*, *Ma-dſcbyt*: quod forte convenit cum *Jagog* & *Magog*. Non hic prætereundæ nobis omnino ſunt *Scytharum* nobiles fœminæ *Amazones*, quas in hac Aſiæ parte omnes conſtituerant olim Geographi & Hiſtorici; & vel ad flumen *Thermodonta*, vel juxta *portas Caſpias*, atque latius ad montes habitaſſe ſcribunt. Cum autem hodie tales maſculæ mulieres non videantur ibi, revixiſſe eas nuper, quendam tradere non piget, ad pontum Euxinum jam translatum in majorem Tattariam; & hic, ſed neſcitur quo in loco, denuo apparere; ubi eas jam, monſtroſa quadam & vix possibili Gynaicocratiæ ſpecie, rempublicam & oeconomiam tenere, narratur. Neſcio, quæ fata fuerint Amazonum, ut quemadmodum olim, ita nunc, aliqui de iis ſcribere talia voluerint, quæ fidem invenire non poſſunt. Hoc fieri puto, cum narrent ea, quæ non certis auctoribus relata utcunque audiverant, & nova modo ſint, vera haberi poſſe exiſtimant. Jam quondam ſcripſit Strabo: *De Amazonibus multa nunc & antiquitus traduntur, prodigioſa quidem & a fide remota.* Igitur mihi præſtaret de illis nihil, quam aliquid ſcribere. Verum tamen id addere licebit, cum Plutarch. in *Pompejo* de illis mentionem faciat, quamvis nec ipſe certus, an unquam fuerint; & præter plurimos alios Strabo l. 11. atque nominent viros, cum quibus vernali tempore duobus menſibus congrediebantur prolis procreandæ cauſſa, *Gelas* vel *Legas*, aut *Gargarenſes*: ſi ita fuerit, adhuc hodie in montibus intra *Armeniam* & *Georgiam* habitant *Legi*, qui & *Leſgi* appellantur, & ſunt viri ſtatura proceri, corpore & animo fortes; ſed raptu maxime vivunt, itinera infeſtantes: quare prope eorum montes non ſine periculo quisquam proficiſcitur, atque ipſi Perſæ ſibi ab his cavent, quos adhuc ita ſub jugum mittere non poterant, ut non quandoque in libertatem reſiliant. Sanè cum legatus Perſicus in Sueciam abiturus, quem ſecutus fui, juxta hos montes proficiſceretur, non auſus fuit ſine militum præſidio iter ſuum facere. Et exiſtimo *Gargarenſes* Straboni ita dictos eſſe *Karkarenſes*, (nam g. & k facile commutari notum) qui ſunt in parte Georgiæ circa *Gachet* vel *Gaget*, (de qua modo ſcriptum fuit) in queis hi ſunt *Leſgi* vel *Legi*. Atque ſic ſi fuiſſe aliquando *Amazones* opinandum erit, tunc vici-

cinia & locorum ſitus videtur oſtendere, illas fuiſſe gentilitias ſaltem fœminarum Georgianarum & Iberiæ: quæ, ſi verum dicendum, corporis forma & animi nobilitate, neſcio quid generoſioris indolis præferre & alere obſervantur. Amazones præterea vocantur etiam *Sacæ mulieres* & *Maſſagetides*: & hos eſſe Scythas ſupra oſtendimus, illicque loci habitaſſe. Non minori ſtudio quam quæſitum eſt, utrum & ubi Amazones aliquando fuerint; etiam de nominis earum derivatione ambigitur. Quidam ita dictas putant, quod *Mazo* i. e. *mamma* careant. *Dextram quippe mammam ab infantia inurebant, ne ſagittarum jactum impediret.* Lege Plat. de legibus Libr. 7. & Hippocratem, de his non ut fabuloſa ſcribentes. Alii putant nomen hoc compoſitum eſſe ab *amma*, quod ſignificat lingua Scythica & Sarmatica antiquâ fœminam (Fennice etiam uxor & nutrix ſic appellatur) & *Kyn* i. e. audax & animoſus: ut jam Amazon ſit, quaſi *Amma Kyn* h. e. fœmina audax. Et hoc ſaltem ſenſu convenire videtur cum eo, quod Celeberr. B. Rudbeckius in Atlantic. Part. III. c. XII. p. 418. obſervat, *Amazones*, Voluſpa lingua veteri Scythica dictas fuiſſe *Amacht-Kar*, compoſito vocabulo ab *a* intenſivo, & *macht* potentia, atque *Kar* viri appellatione: unde eſt quod Herodotus & alii eas *Viragines* ob fortitudinem inſignem nominarunt. Meum non eſt hic aliquid certi concludere, ubi tantum opinionibus agitur.

Cum a *Roſſ* & *Meſech* vel *Moſoch*, de quibus modo actum fuit, ſint populi *Moſchi* & *Roſſi*, fere omnes putant *Ruthenos* & *Moſcovitas* ab illis & ortum & nomen habere, quaſi Propheta in dictis locis de illis potiſſimum prædixiſſet. Sed an hæc Prophetia Muſcovitarum & Ruthenorum capitibus aliquid portendat, aliorum eſto judicium; nec ad me attinet de re tanta ſententiam dicere: hoc tamen affirmare poſſum, nec *Moſcorum* ſeu Moſcovitarum, aut *Ruſſorum* ſeu Ruthenorum nomen ab *Roſſis* Araxenis & *Moſchis* ad montem Ararat, derivatum eſſe: quia illa natio, quæ hodie ſub Czarea Majeſtate eſt potentiſſima, non eſt ex veteribus incolis illarum regionum, ſed adventitia gens *Slavonica*, quæ ſeculo fere ſeptimo poſt *Chriſtum Salvatorem* natum, in illas terras, ubi nunc dominatur, transmigravit, & veteres incolas paulatim ſub jugum miſit.

Atque ipſi in ſua Chronologia fatentur *hi Ruſſi*, ſe ab initio vocatos eſſe *Ruſſakos*, ceu adhuc ſe ipſos & Poloni eos vocant, & ita dictos fuiſſe ſcribunt primos *Slavos*, qui illas oras ingreſſi ſunt, quod juxta flumen *Ruſa* conſederant, quod in *Ilmen* lacum ſe exundat, ubi etiam urbem eos habuiſſe aliqui dicunt cognomine *Ruſſ*, antequam ædificaverant *Novogorod*, ſic dictam reſpectu *Staragorod* ſeu Altenburg. Præterea *Moſcow* non dicitur a fluvio, qui urbem percurrit, ſicut video plurimos auctores tam veteres quam novos tradere, cum illud flumen a Ruſſis vocetur *Smorodina* (Ribes), quod optime accolæ ruſtici ſciunt, qui *Moſcou-Reka*, flumen *Moſcou* neſciunt, niſi dicatur *Moſkowſki* h. e. Moſcoviticum, ſive illud, quod ad urbem *Moſcou* fluit: atque ſic patet flumen *Smorodinam* non urbi dediſſe nomen, ſed ab illa accepiſſe, cum hæc urbs demum condita ſit a Principe eorum Daniele. Multo minus a *Moxa* flumine in Tattaria *Caſſimovenſi* dici poteſt urbs *Moſcow*; quia illud longe ab hac urbe abeſt, & eo tempore Tattaris & diu poſtea ſubjectus fuit ille Principatus. Sed *Moſcou* dicitur a Monaſterio quodam, quod ad ripam fluminis *Smorodina* ſtetit diu ante hanc urbem conditam, & cum illud *Monachale* fuerit ſive *virile*, vocatum eſt *Moſcoi* vel *Muſcoi*, a *Muſik* vel *Mus*, viro: quodnam illud ſit, plurimi etiam hodie ibi ſciunt. Hoc adhuc addo: non aliter ac a Monaſterio *Muscoi* dicta eſt urbs *Muſcow*; ſic milites Prætoriani (*Guardie*) Czareæ Majeſtatis vocantur *Prabraſenski* & *Simonowski* a vicinis locis. *Illud*, a *templo* in aula Czareâ ad fluvium *Jouſa*, quod dicitur a *Prabraſenia* i. e. *transfiguratione Chriſti*. *Hoc* ſc. Simonowski, nomen accepit, quod milites illius cohortis fuerint inprimis, partim a ſtabulo Czareo, partim falconum & accipitrum cuſtodes, nobiles nihilominus omnes; & quia tunc habitabant non procul ſuburbio *Pokrowski* (ab eccleſia ſic vocato, quæ exſtructa eſt in memoriam ſepulturæ beatæ virginis *Mariæ* ſive matris Chriſti) in ædibus ad ſylvam proximam, quæ dicuntur etiam hodie *Simonowski*, forte a *Simone Stilonita*: hinc etiam, poſtquam ſub initium imperii Czareæ Majeſtatis *Petri Alexiewitz* militiæ adſcripti ſunt, & ſedes acceperunt trans flumen in aliis locis, appellationem ſecum quoque illuc deduxerunt. Atque ſic recentiora ſunt nomina *Ruſſorum*, vel rectius Ruſſakorum, &

Mo-

Digitized by Google

Moſcorum, ab urbe *Moſcoua* dictorum, quam inde a tanta antiquitate deduci poſſint. Sed lecta & relata refero, ſententiam mutaturus, cum meliora edoctus fuerim.

Ceterum quia a *Roſſis* & *Alanis* commixtis orti ſunt *Roxalani* quaſi *Roſſalani*, paucis eorum facienda eſt mentio. De *Roſſis*, Scythis ad Araxin fluvium, jam ſupra dictum. De ſedibus autem *Alanorum* hactenus ſatis quæſitum fuerat. Marcellinus, licet cum Alanis verſatus ſit, & cum iisdem bella geſſerit, patriam tamen Alanorum ſedem non recte ſibi cognitam habuit. Alii eos inter Gothos habitaſſe putant. Omnium ſententias enumerare mihi non eſt neceſſe. Tantum indicare volo, quod hic in ſuperioribus viſum eſt, eos in montibus Caucaſi habitare vid. pag. 21. ubi de Rege Alanorum agitur, & filia ejus pulcherrima atque prudenti *Satinice*. Ex hiſtoria etiam Tattarica conſtat Alanos illic loci ſedem habere, & præterea illos eſſe nationis Scythicæ. Marcellinus ad *Mæoticam Paludem* & *Cimmerium Boſporum* illos locat: ad *Mediam* & *Armeniam* eos etiam ponit, quo venando excurrerunt. Joſephus Ben Gorion mentionem facit Alanorum ad portas Caſpias, quibus dicit eos fuiſſe incluſos intra montes Caucaſi ab Alexandro Magno. Ptolomæus quoque Lib. 3. Cap. 5. ſcribit: *Per totum Mæotidis latus ſunt Jazuges, Rhoxalani, & iis interiores Hamaxobii & Alauni (Alani) Scythæ.* Cum ego in monte Caucaſo inter *Tattaros*, *Komockos* vel *Dageſtanos* verſarer, atque in caſtris eorum eſſem, ſatis certus fieri potui, in montibus illis adhuc habitare *Alanos*. Annotavi etiam quædam vocabula linguæ illius, quâ utuntur. Quicquid jam hujus ſit, in Suecia *Roxalanos* fuiſſe nullum eſt dubium. Videatur Celeberrimus Rudbeckius Atlant. P. III. C. X. §. 19. Plura addere mihi jam non vacat; nec in hoc inquirere licet, quare *Fenni* noſtri vocent Suecum *Rotzalainen* q. *Roſſalanen*, quaſi *Roxalanum*. Hoc quidem ortum videretur e *Roslagen* provincia hic in littoribus Sueciæ, quæ remiges olim ad claſſem publicam dabat, ut ſit *Roslagen* quaſi *Rodenslagen*, remigum ſedes; non aliter ac *Bergslagen* regio montana vel mettallifera. Sed cum Fenni ipſam Sueciam appellent *Rotzima*, Suetica terra; vel ſimplicius *Rotzi* quaſi *Roſſi*, Suecia, videtur alia eſſe origo. *Alani* etiam noſtri, & *Alania* ſive *Alandia*, ſatis nota ſunt. De affini-

Digitized by Google

finitate autem vel cognatione horum noſtratium cum populis ejusdem nominis Aſiaticis inquirat & judicet, cui hoc facere placuerit.

Jam redibo ad ipſam ſeriem Regum Iberiæ & Georgiæ. Sed optarem, ut mihi nunc ad manus eſſet illud quod quondam notavi de variis epochis Chriſtianorum in Aſia, ubi etiam antiquam & recentiorem æram Armenorum habui. Interim quilibet poteſt Aſciotani ætatem ſcire, cum viderit, Davidem filium Demetrii regnaſſe temporibus Diocletiani, atque tunc numeratum fuiſſe annum Armenorum 744. Præterea Aſciotanum non longe abfuiſſe a Bagrado, ducente genus inde a Sombato Judæo, de quo ſatis ſupra. Nam hic *Bagradius* temporibus *Valarſacis* primi Armenorum regis ex *Arſacidis* vixiſſe ſcribitur, qui ante Tigranem magnum 61. anno regnabat. Præterea *Abaſus* quintus Princeps Iberiæ in hac ſerie Chriſti fidem acceperat, ſimul cum Abgaro rege Armenorum, a S. Thaddæo nuper converſo: temporum enim ratio hoc innuere videtur. Cæterum non ſecus ac Armeni fidem Chriſti ſub *Abagaro* plantatam, amiſerant usque ad *Tiridatem*, qui illam tandem reſtituebat, ſic & Georgiani vel Iberi eam perdiderunt usque ad *Mirianum*, de quo p. 28. Opportunum ſane fuiſſet, ſi auctor hujus ſeriei Principum una cum nominibus eorum amplius deduxiſſet res geſtas cujuscunque, ſic facili opera potuiſſem eos conferre cum illis, qui apud ceteros auctores inveniuntur. Apud Plutarchum enim in Lucullo nominatur *Zarbienus*, qui etiam poſt mortem a Lucullo cultus eſt. Præterea quoque invenitur apud hiſtoricos, *Atroces* a Pompejo magno victus, & *Pharnabazus*, quem fregit Canidius dux Antonii. *Mithridates* quidam apud Dionem tantum nominatur. Deinde alius *Mithridates* tempore Caligulæ apud Tacit. Lib. 12. cujus frater erat *Paraſmanes* pater *Radamiſtis*, qui uxorem habuit Zenobiam, vide ſis Tacitum. Poſt hos nihil habetur, quantum mihi innotuit, apud Scriptores de rebus Georgiæ & Iberiæ ante Seculum 1500. qui ſatis confuſe tamen ab hoc tempore referunt ſeriem Principum *Iberiæ*, *Cachet*- & *Carduel*, quos unusquisque facili opera conferre poteſt cum hoc libro, & diſcernere quibus potiſſimum fides ſit adhibenda.

Jam

Digitized by Google

Jam inveneramus Incolas & accolas montis Caucaſi antiquiſſimos, ſc. *Roſſos*, *Moſchos*, *Iberas*, *Sacas*, etſi ſub aliis nominibus; ut & *Alanos*, *Georgianos*, *Maſſagethas*, *Roxalanos*, *Scythas*. Præter hos ſunt in illis montibus plurimæ nationes etiam hodie, ut ego brevi illo tempore ac illic fui, duodecim diverſas linguas collegerim. In hac hiſtoria recenſentur etiam *Uſſi*, *Smatii*; &c. Et ſcio etiam ibi habitare *Avaros*. Utrum hinc exiverint illi qui ſeculis poſt Chriſtum in Europam irruebant, & *Bavariam* a ſe quaſi *Avariam* denominabant, judicent hiſtorici. Sunt etiam illic aliqui, qui ſectam quandam religionis Judaicæ ſequuntur, ſed linguam propriam quandam habent. De his poſtmodum aliquid dicemus.

Ad Septentrionalem partem montis Caucaſi inter mare Caſpium & paludem Mæotiden ſunt *Circaſſi*, qui a Ruthenis vocantur *Gurſchi Circaſſi* vel *Gori*; Et *Tattari Cubani*. Hi *Circaſſi* olim appellati ſunt *Zigei* a quibus ortum habere putatur natio illa erronea per Europam vulgo ſatis ſuperque nota ſub nomine *Ziganorum* vel *Tattarorum*, etſi jam ſit colluvies quædam ab aliis gentibus diverſis, & nihil habeat ſimile illis qui in Circaſſia habitant; Sic obſervaſſe quondam vidi Celeberrimum Jacobum Thomaſium; quamvis Conſultiſſimus Vagenſeil putet, hos *Siganos* eſſe Judæos quosdam ex Germania extorres, in præfatione, ni fallor, ad Antiquitates Norimbergenſes. Videatur etiam Philippus Cammerarius in horis ſubciſivis Cap. LXXII. Primis temporibus hic habitaſſe exiſtimatur *Sarmatas* Aſianos & *Cimerios*, quare palus *Maotidis* dicta eſt etiam *Lacus Cimmerius* vid. Strab. Et *Cubani* ſunt illic ubi olim *Boſphorani* ſedebant. Jam tota hæc regio eſt ſubdita *Chano Crimenſi*, cui certum numerum virginum tributi loco tradere coguntur: Nam fœminæ ibi, ut in *Gorgia* habentur forma excellenti & pulcherrimæ. Hæc *Circaſſia* & vicini quidam loci a Tattaris vocatur *Kipzak*: quare etiam adhibetur hoc nomen in titulo *Sultani* & imperatoris Turcarum, unde hoc nomen ſit vide iterum hiſtoriam Abulgaſi Chani. Præterea *Circaſſia* eſt diviſa in plurimas provincias ex quibus primaria eſt *Cabardia*. In tota *Circaſſia* Ruſſorum Imperator nihil hactenus habuerat præter oppidum *Tirck*, quod ipſi *Ruthni* exſtruxerant; Quare tamen in ejus titulo habeatur *Circaſſia* ſatis notum eſt ex vita

Digitized by Google

Czari Johannis Baſilidis. Circaſſi olim potentiſſimi erant & ex his quondam fuerant *Sultani* in Ægypto, de quibus vide Pocockium in ſupplementis ad Abul-Fagarii hiſtoriam dynaſtiarum, ubi refert Ægypto, poſt eam in Mahometanorum poteſtatem redactam, præfuiſſe *Al Makrizi* triplici diſtincti genere. Primum eorum qui *Amiri Ægypti* vocantur *Chalipharum* nomine præfecti; Secundum *Chalipharum Phatemidarum*; Tertium *Regum* vel *Sultanorum*, qui iterum triplici ſunt generis; regum *Jabidarum Mamluckorum*; *Bahritarum*; *Mamluckorum Circaſſorum*. *Mamluck* ſervum emtum denotat, ceu qui pretio numerato in domini poſſeſſionem venit. Hi Circaſſi *Mamluck* communi nomine *Boriita* appellabantur. Primus eorum fuit *Al Malec Al Dhaher Abuſaid Barkuk* filius *Anſi Alyilbogavi Al Otmanni Circaſſus*. Hic in Circaſſia captus ab *Ottmanno* quodam, ac in *Tattarorum* Crimorum regione emtus & in Ægyptum delatus in *Mamluckorum* Ducis cujusdam *Tilboga* poteſtatem venit atque ab eo libertate donatus in Mamluckorum numerum adſcitus eſt. A dominis iſtis *Tilbagavenſis* & *Othomanienſis* denominatus, antea *Altanboga* nomen habuit. Cum inter Circaſſos eſſem audivi eos adhuc hodie probe memoria tenere divitias delitiasque Ægypti; etſi *totum tempus*, ut inquit Al Jannabius, *quo regnum occuparunt, præſertimquod fini propius, reperies illud bellis, injuriis & rapinis refertum.* De origine nominis *Circaſſ* ab illis quæſivi, qui dixerunt hoc eorum lingua ſignificare *quadraginta*, quia olim inter tot *Myrſas* tota regia fuerat diviſa.

Ceterum boni conſule, Benevole lector, has notas tumultuarie collectas & ſcriptas cum cetera ſub prelo jam ſudarent & diverſa negotia me diſtractum tenerent. Si Deus fataque voluerint alia & his emendatiora aliquando dare conſtitui, quando hactenus amiſſas res & ſcripta recuperare potuero. Interim, B. L. nunc vale.

Cum mitteret mihi Rever. Pater Joh. Barth. ſuperius editos Commentariolos quos ſcripſerat, & quibus jam addidi has notas meas; Dedit inſimul hanc ad me epiſtolam, quam etiam apponere volui.

Cla-

Clariſſime & Cariſſime Domine HENRICE BRENNER,

Pax Chriſti.

Quam jucundum mihi fuerit tuæ benevolentiæ literas Caſciano ſcriptas perlegere non eſt cur pluribus efferam. Sero ad me pervenerunt: Quam primum licuit monui R. P. Baſilium de libris unicuique Domino reſtituendis inveniqué eum jam munus ſuum egregie peregiſſe. Ergo illæ anxietatis nubes e mente tua diſſipentur: Quod attinet ad rem noſtram: Per aliam epiſtolam menſe Julio ad Te conſcriptam indicaveram tibi me jam penè compleviſſe: Breve Commentariolum de origine nationis & regum Armenorum, *quem ad Tuam ſtudioſitatem mittere cogitabam per manus alicujus mercatoris, qui recta iret Stockholmiam. Verum cum præter opinionem noſtram Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Elias Epiſcopus Aſpahanenſis Dominus meus ac tuus perneceſſarius pergat ire Romam ac per Moſcoviam iter habiturus ſit, ei commendavi præfatum opuſculum,*

his literis annexum, quod qualecunque illud ſit amico animo tibi offero. Si licebit brevem geographicam deſcriptionem Aſiæ ex quodam libro ejusdem Doctoris Moyſis tranſcribere ac latino idiomate quam primum referre ad Te mittam. Alioquin patienter ſuſtine usque ad tempus magis oportunum; Nunc ſiquidem & meo & aliorum nomine plura ſcribere oportet. Verum hic omittere non poſſum quod Alani indubitanter ſint populi ultra & prope Caucaſum habitantes. Videas modo iſtine Alani a tuis originem duxerint an potius Tui ab iſtis. Vale. Aſpahani 1/11 Septemb. 1699.

Salutat te R. P. David.

Tuus addictiſſimus ſervus

FR. JOANNES BARTOLOMEUS

a S:to Hyacintho Ord. Prædicatorum.

Ma-

Maxime Reverende & Celeberrime Domine ERICE BENZELI, SS. Theol. Doctor & Bibliothec. Acad. Upſal.

CUm in reditu ex Perſia A, 1699. eſſem, traditæ mihi fuerunt Tuæ, Ampliſſime Vir, litteræ, quibus rogaſti, ut in quasdam res ſtudioſe inquirerem, de quibus Te monuerat Vir Summus *Godefridus Guilielmus Leibnitzius*, præcipue ut vocabula diverſarum nationum inter Perſiam & Moſcoviam ſitarum non negligerem, unde forte liceret colligere plurimarum gentium cognationes: quod ipſum, etiamſi jam prius egeram, diligentius tamen poſtea egi, ut deſiderio & Tuo & Celeb. *Leibnitzii* aliquo ſaltem modo ſatisfacerem. Dedi etiam breve reſponſum, cum tunc reduce Legato Sueciæ Nobiliſſimo Domino *Ludovico Fabricio*. Et quoniam relictus ſum cum Legato Perſico *Sarug Chanbeg*, qui ad Sueciam miſſus erat, illeque ex mandato regis ſui propter cauſas non leves debuit per Conſtantinopolin iter facere, ſperabam me cito perventurum in patriam, plurimaque Tibi allaturum: quod & factum fuiſſet, niſi duriora nos manſiſſent fata. Quippe huic legato, cum jam abiiſſet ex Media per fines Aſſyriæ, injunctum, ut iter mutaret, atque per Moſcoviam proficiſceretur: quod & fecit, etiamſi ego omnibus modis ei id diſſuaderem, cum nihil boni ei ominarer ex gliſcente jam tum diſcordia inter Perſiam & Ruſſiam: de me cætera ſecurus eram: non enim ſuſpicabar bellum futurum inter *Sueciam* & *Ruſſiam*. Sed nihil egi. Atque ſic reverſi ſumus per *Georgiam* & *Albaniam* in *Servan*: hinc abivimus per *Tartariam Dageſtanenſem* (montanam

nam) ad Provinciam *Andree*, ab urbe cognomine dictam, ubi trans flumina, juxta quæ Coſſaki conſederant, & per campos thermis delicioſos proficiſcebamur in *Circaſſiam*, unde devenimus in Ruſſiam, fatalem nobis carcerem. Sic cæca ſunt humanæ mentis conſilia! Illic ab anno 1700. usque ad pacem Nyſtadienſem detentus fui, & ſic tempus atque cum tempore fortunam meam perdidi. Inter cetera, quæ mihi acciderunt mala, etiam hoc erat, quod collectanea mea amitterem, & Tibi, vir Ampliſſime, communicare non potuerim, quæ parata habebam, atque certo conſtitueram; maxime cum præ aliis ego accuratius cuſtodirer, cujus cauſſam ne conjicere quidem poſſum. Sed tranſeant hæc, & nolo durum renovare dolorem. Deo tantum gratias ago, agamque ſemper, cujus auxilio tandem, præter omnem fere ſpem, dilectiſſimam patriam poſtliminio videre potui. Jam diutius non intermittendum putavi, quin ſaltem tabulas quasdam naufragii rerum mearum Tibi offerrem, quod etiam tanto libentius facio. cum & vetus amicitia noſtra id poſtulet. & nonnulla, quæ dudum inter prorſus deperdita putabam, in manus tuas inciderint. Vellem ſane, quicquid unquam meum fuit, idem habuiſſet fatum! Manuſcripta ſane hæc, cum antiquiſſimas res contineant, in pretio ſemper habui. Scio etiam quomodo illa amiſerim: Nam cum Moſcovia in graviores carceres abducerer, relicta ſunt hæc inter alia cum ſarcinulis & famulis meis: quorum cum deinde unus vellet ad me, ubi tunc detinebar, aliqua adferre, nec eo pervenire poſſet, reliquit illa apud amicum quendam meum, qui in alia urbe cum quibusdam aliis captivis eo tempore degebat; Servus autem mortuus eſt, & manuſcripta hæc cum apud priorem amicum in manus incidiſſent Nobiliſſimi Domini *Petri Schönſtröm*, pro eo, quo eſt in antiqua monumenta amore eadem deſcripſit, & Tibi domum redux obtulit: quod ceu bene factum omnino lætor, etſi poſtmodum proprium Patris *Johannis Bartholomai* Manuſcriptum una cum quibusdam aliis recepi a viro optimo, apud quem initio depoſita fuerunt ab illo famulo meo, qui obiit, antequam me convenire poſſet. Hæc jam ſunt, quæ ſuaſu Tuo cum notis meis breviſſimis typis edenda curavi. Quale judicium de his eruditi ſunt laturi, tempus indicabit. Hoc fateri poſ-

Digitized by Google

poſſum, me addidiſſe ſtimulum laudato *Johanni Bartholomæo*, ut ad tales res animum appelleret, & archiva vetera perſcrutaretur. Quare id cum ſedulo faceret, mihi acquiſivit plurima, & præter hæc etiam alia intra manus habuit, ut per literas me certiorem fecit, poſtquam Hiſpahano diſceſſeram, quæ prima occaſione ad me transmittere voluit. Sed hæc habendi ſpes ferè decollavit morte viri Opt. & Doctiſſimi, ab homine nequam & ſicario illata. Certe vices ejus maxime doleo, melioribus fatis digni, & triſtor mihi ſimul plurima deperdita eſſe.

Sed ad propoſitum veniam. Conſtitui de ſtatu rerum præſenti in oriente aliqua ad Te, Vir Celeberrime, ſcribere, quoniam ſæpius de eo nobis incidit ſermo, atque de *Perſico* potiſſimum incipere. Verum ſi politicam illius regni hiſtoriam & regiminis rationem conſiderare velim, video jam illam probe ab aliis ſcriptoribus eſſe expoſitam, ubi etiam regum *Sophianorum* res geſtæ clare deſcribuntur, ut crambem ſæpius recoctam apponere non habeam neceſſe. Si notitiam motuum qui hoc tempore ibi exorti ſunt, poſtquam Merovitz rerum quaſi potitus eſt, & Czarus Moſcorum victricibus armis circa fines regni tot fecit progreſſus deſideres, illam aliunde jam certius habebis. Aliquid forte mihi dicendum foret de viribus Perſarum bellicis; ipſius regionis ſecuritate & cuſtodia; adhæc de divitiis & commerciis; Verum cum præſentium rerum conditio non ferre videatur, ut hæc talia tangantur, præſtat ſingula omittere. Interim ſemper opinatus ſum, vix aliter fieri poſſe, quin Turcarum Imperator quaſi e ſpecula proſpiciat in ſucceſſus & progreſſus Czari. Hic ſi pari felicitate Georgiæ regnum occupaverit, ſuam rem jam agi Turca omnino exiſtimabit, quia *Iberiam* & *Armeniam*, quæ etiam Chriſtianam religionem profitentur, quantum penes eas fuerit, ſponte Czareæ Majeſtati ſeſe dedituras ſuſpicabitur, ſaltem ut ſub Chriſtiano Imperatore liberius ſua ſacra exercere poſſint, immunes a vexationibus plurimis Mahometanorum. Poſt hæc forte aliqua Mingreliæ aut Colchidis pars id ipſum conabitur. Hoc ubi factum fuerit, vix impedire poterunt Turcæ, quo minus facili opera Czarus, ſi modo voluerit, liberum ſibi faciat commeatum in Ponto Euxino, ſicut jam habet

bet in mari Caſpio, quod ipſum Turcarum ratio ſtatus non lubenter conceſſura eſt; maxime cum etiam ſic de Circaſſia actum foret, unde ad Tanais oſtia & Mæotidem paludem tranſitum non prohibere ſuſtinebunt *Kubani Tattari.* Atque ſic Crimenſi Chano non minima pars ſuarum ditionum peribit. Plura non addo. Ea, quæ noſtri ſunt instituti ſolum tangam. De Mahometanorum ſchismate, quo inter ſe colliſi ſunt, cum quidam *Omari* ſequantur interpretationem Alcorani, quidam *Mortus Aly* nihil ſcribam, cum abunde cognita ſint. De Armenia etiam, quomodo Chriſtianam fidem imprimis tempore *Abgari* acceperit, & rurſus amiſerit; donec *Tiridates* rex & *Gregorius Illuminator* illam denuo reſtauraret, præter alios Doctor hic Moſes in ſuis commentariis docuit. Pauca addam: *Gregorii Illuminatoris* filius erat *Iſacus Patriarcha*, qui etiam concilio Nicæno interfuiſſe dicitur. Hic ut pius & ſanctus etiam hodie colitur, & ejus prophetia magni habetur pretii. In illa inter cetera hæc inveniuntur: Armenos, tunc temporis regno regeque potentiſſimos, & vera religione egregie imbutos, ſic a fide Chriſtiana aliquando diſceſſuros, ut nomen tantum Chriſtianismi retineant, rem autem fideique vim parum curent, donec Deum ad juſtam provocarint iram, qui regnum ipſis, victa regia Arſacidarum familia deſolari ſinet, eosque peregrinorum hoſtiumque ſuorum imperio ſubmittat, & per orbem diſpergi faciat, ſicut jam cum Judæis, cariſſima olim Deo gente, fieri vidiſſent: atque ſic extorres & ab omnibus contemtos erraturos, usque dum tandem vera etſi ſera pœnitentia reſipuerint, numenque rurſus propitium reddiderint. Tunc enim excitatum iri a DEo quendam *Europæum regem* qui poſtliminio regnum regesque ipſis reſtituat, ut ſic ſalvi ab ærumnis in propriis ſedibus vivere poſſint. Hunc *Europæum Regem* jam exſpectant Armeni, ut Judæi Meſſiam. Ceterum in Armenia, religio Chriſtiana eſt diverſa & a *Græcorum* & *Romanenſium* inſtitutis, quæ tamen in duas ſectas eſt diviſa. *Primam* vocant antiquiorem, recentiorem *alteram*, quæ ſuperiori in multis eſt ſtrictior, maxime circa jejunia & pœnitentiam. De his rebus legi poteſt P. Calanus. Nihilominus plurimi ibi ſunt Catholici Romanenſes, ſicut ex *Indice conventuum & eccleſiarum* quem in ſuperioribus edidimus, conſtabit. Cum

Scha-

Digitized by Google

Schamachiæ eſſem, vidi apud *Vartabetum* Armenum literas Pontificis Romani, quibus reſponderat Armenor. epiſtolæ, qua petiverant ejus opem, & liberationem a jugo Mahometanorum, illam hoc ſibi jam curæ cordiq; fore promiſit Pontifex, quam primum reſipiſcere vellent, atq; relictis ſuis erroribus redire ad unionem eccleſiæ Romanæ. Eſt etiam natio quæ *Nyſſæa* vocatur, hæc fidem habet Armeniam, ſed lingua utitur ſibi peculiari. Fuerunt jam olim *Nyſſai* ſatis noti propter generoſos, quos alebant equos. Præterea ſunt in toto oriente plurimi Chriſtiani diverſarum ſectarum, quæ apud Auctores eccleſiaſticos paſſim recenſentur. Audivi etiam a patribus Romanenſibus, & præſertim epiſcopo Aſpahanienſi *Elia de Sancto Alberto*, Belga, ordinis Carmelitarum, (qui mihi erat familiaris, & poſtmodum Romam abivit per Ruſſiam) de *Sabæis*, qui dicunt ſe baptiſma *Sancti Johannis* Baptiſtæ adhuc obſervare. Ad hos Nuncios miſerat Pontifex, qui eos monerent, ut eccleſiæ Romanæ ſe addicerent. Sed reſponderunt hoc ſe facere velle, ſi modo Polygamiam, quam antiquitus habuerant, retinere ipſis conceſſum fuerit. Quid ſuper hac re fuerit decretum, nondum mihi innotuit. Ad *Georgiam* venio & *Iberiam*. Harum regionum incolæ conſtanter religionem Chriſtianam Græcam retinuerunt, poſtquam a *Sancta Ninone* (quæ hactenus ſub nomine *Sanctæ ancillæ* latuit) ſunt converſi. Sed actum ibi forte fuiſſet de religione Chriſtianâ, ſi non peculiaris Dei providentia eam huc uſque conſervaſſet: nam reges Perſiæ aſtutia quacunque Georgianos & Iberos ad defectionem alliciunt, ut ſibi devinctiores reddant homines fortes & magnanimos. Quare præter quam quod Principum filios ad ſe in aulam vocant, atque a pueris eos imbibere Mahometanismum cogunt, etiam legem tulerunt, ut parente, qui plures habuerit filios, decedente, in illius demortui bona is filiorum ſuccedere poſſit, qui abnegato Chriſto, Mahometo nomen dederit. Hac ſane offa ineſcati jam ſunt plurimi. Interim hic non prætereunda mihi videtur fœminarum Gorgianarum calliditas. Hæ cum ſciant ſuos maritos, poſtquam facti ſunt Mahometani, poſſe ſuperinducere tot uxores, quot ipſis placuerit, zelotypia motæ, omni modo unaquæque ſuum maritum in religione Chriſtiana vel amoris vi vel precario detinere ſtudet, & cum ſint principiis religionis Chriſtianæ bene imbutæ, immo melius quam ipſi viri, conſcientias eorum verbo divino commovere norunt. Præterea cum non ignorent, in religione Mahometa-

tana prohiberi uſum vini & carnis ſuillæ, mutuâ quaſi conſpiratione hoc inter ſe decretum obſervant ſingulæ matres, ut puero parvulo, poſtquam ab ubere pendere deſiit, & lacte ſolo non amplius nutritur, mox ingerant inter alimenta aliquid carnis porcinæ, & vino eum paulatim adſuefaciant, ut harum dapium uſum non facile relinquere poſſit: atque ſic adultior, ſi non propter fidem, tamen propter victum religioni Chriſtianæ maneat addictus. Porro ſimulatque ætas fert, matrimonii vinculo illum conſtringunt, ne in vagas delabi libidines poſſit. Atque ſic ſuo modo hæ fœminæ, Mahometanorum molimina, per ipſa eorum religionis fundamenta, impedire, quantum penes illas eſt, ſatagunt. Hæc autem triſtiſſima illis accidunt: cum Regis filius matrimonio maturus fuerit, illico in *Gorgiam* mittitur quidam Eunuchorum præfectus, qui omnes domos ingreſſus formoſiſſimas puellas eligit, atque aufert in uxores Principis. Hinc lacrimæ parentum! Verum nec ſic ſibi deeſt mulierum prudentia. Quoniam ſciunt inſolens Perſis eſſe, auferre marito ſuam uxorem; igitur, cum conſtat talem Luſtratorem puellarum accedere, dant filias ſuas confeſtim vicinis & Chriſtianis juvenibus uxores, idque tanto ſtudio, ut in illis turbis aliquando vir non magni pretii accipiat virginem pulcritudine & formoſitate pretioſiſſimam. Hæc cum conſiderem, triſtem certe eccleſiæ ſtatum ſub tali dominio non poſſum non dolere. Licebit forte *Georgiam* & Circaſſiam, atque fere omnes Provincias in Caucaſo, etiam hodie vocare *καλλιγυναῖκας*, ceu olim Homerus Græciam formoſis mulieribus nobilem dixit. Ceterum ſicut *Armeni* ſunt ad commercia tractanda admodum apti; ſic Gorgiani ſunt ad arma quaſi facti & nati, quod etiam ſciunt *Perſæ*: igitur illos quocunque modo aut ſubigere, aut conjungere ſibi volunt. In confinibus *Gorgiæ*, mare verſus Caſpium, eſt *Albania*, quam ſic dictam quidam putant ab *albis capillis*: ſed in omnibus locis vix quiſquam invenitur niſi *niger crine*, etſi in *Dageſtano* quidam ſint cæſiis *oculis*. Verum dicuntur accepiſſe nomen a Duce ſuo, qui vocatus eſt *Avac*, i. e. *probus, juſtus*, unde Latina mutatione & pronunciatione factum tandem videtur *Albaniæ* vocabulum, ut Albania ſit quaſi Abania. Non longe ab his, ſunt populi olim *Caſpii* dicti, à quibus *mare* ſuum nomen derivavit. Hinc devenitur ad *portas Caſpias*, quas jam Perſæ vocant *Derbent*, i. e. *portam ferream*, ſicut etiam *Haytho* vocat. Nec de urbe *Derbent*, nec de *muro illo*, quem Alexan-

der

der Magnus legitur exſtruxiſſe, hic ſcribere attinet, cum ab aliis hoc ſatis factum ſit. Inſcriptiones antiquas Cipporum, de quibus narrat Clariſſimus Olearius, mihi explicuit illic loci *Molla* ſive Sacerdos Mahumetanus, ſed perditis ſchedulis meis argumentum earundem inſcriptionum mihi memoria excidit: id memini, ſeculo O.R. decimo antiquiores non eſſe. Muri autem rudera aliqua ad urbem hanc in montibus vidi: & dicitur hic murus hinc abiviſſe per montes ad pontum Euxinum usque, quem oppoſuerat Alexander M. incurſionibus *Alanorum* & Scytharum ad fines Perſici regni. Eſt ad reliquias hujus muri in monte parvulum oppidum, etiam hodie *Iſchandria* i. e. *Alexandria* a conditore dictum, quod magna olim urbs fuerat: habitant ibi nunc quidam Gorgiani & nonnulli alii. Hinc factum opinor, ut quidam exiſtiment *Derbent* olim vocatam *Alexandriam*. Vicini Tattari vocantur *Dageſtanenſes* h. e. *Montani*: ſe ipſos appellant *Kaitak* vel *Komok*, forte quia hic fuerant antiqui *Komanni* vel Comanni. Hæc natio eſt fortis & bellicoſa, ſtatura & corporis habitu ab aliis Tattaris diſtincta: nec ſe origine Tattaros haberi volunt, etſi ab illis ſubacti ſint, (ceu rurſus ex hiſtoria Abulgaſi liquet) ſed ultro fatentur, ut ipſe ab illis audivi, cum in eorum caſtris eſſem, quod genus ſuum a *nobis* ducant, quos vocant *Scuith*: unde videtur ortum Græcorum σκύθ. Hæc vix auderem ſcribere, ſi non mihi plurimi teſtes eſſent, etiam hodie Suecos in oriente vocari *Scuith* vel *Svith*. Unde illis nomen hoc ortum ſit, facile patet. Præterea adhuc apud eos nomen eſt *Oden* vel *Auden*, quod nomen olim fuit *commune*, etſi jam *proprium*, non aliter ac nunc apud nos *Enevald*, & apud Romanos *Rex*. Quare Julius Cæſar, cum conſulto a quibusdam ad tentandum vulgi animum *Rex* appellari voluiſſet, langueſcente autem præter opinionem populi acclamatione, callide reſpondit, *ſe Cæſarem eſſe, non Regem*: alludendo ad nomen illius patricii, cui familiare vel gentilitium erat *regem dici*. Nec abit a vero, Scythas olim has oras incoluiſſe, quia apud *Herodotum* & *Juſtinum* habetur, hos circa fl. Araxin primitus habitaſſe, & quod rex Cyrus in expeditione contra *Maſſagetas* eorumque Reginam Tamyridem, tranſiverit Araxin, antequam in Scythiam perveniret, vid. *Herod. Clio*. Vocantur iidem Maſſagetæ a *Juſtino* Scythæ, lib. I. c. 8. ita ut gens eadem fuerit. Notabilis eſt locus in Hiſtoria Tattarica Abulgaſi Chani, quod Alexander Magnus murum duxerit a mari Caſpio ad Euxinum pontum contra popu-

Digitized by Google

lum *Ma dſcyth Ja dſcyth*. Quod olim *Maſcytha* vocati ſint, etiam *Maſſageta*, neſcio cur dubitandum. De *Maſſagetarum* nomine prius ſcripſi: hoc tamen adhuc pace Tua, Cl. *Benzeli*, hic adponam de *Jagog* & *Magog*, vocabula eſſe eadem, & nonniſi particulis *Ja* & *Ma* diverſa: quarum una linguâ Mongalica ſignificat *citerius*, altera *ulterius*: atque ſic per *Jagog* & *Magog* videntur intelligi *Goga*, *Goges* & *Gogita citeriores* & *ulteriores*. Præterea Celeb. Lundius in Not. ad Leg. Upl. exiſtimat *Gog in terra Magog* eſſe *Scytharum regem*, qui habitavit in *Scytha noſtra*, vel *Svithiod*, & latiſſime imperavit, ut etiam eſſet Princeps *Roſſ* i. e. Scythis Araxenis, Meſeck & Tubal. De quibus ſupra in notis aliqua ſcripſi; ſed forte de his alias confabulabimur. Interim *Cl. Verelium* in notis ad Hiſtoriam Hervara optime obſervaſſe conſtat, hos eſſe *Tirkar* & *Aſianos*, qui in Sueciam quondam venerant, cum etiam hodie quosdam ibi vocent *Tirkelu*. Nolo de eorum moribus copioſus eſſe, quos illi tam rigide obſervant, ut nec in minimis ab antiquis eant; neque etiam ſiverint ſuum *Schemchal* a Perſia venientem, cum apud eos eſſem, ſuos fines ingredi, antequam deponeret luxurioſam Perſarum veſtem, & ſibi indueret ſuorum vile pallium, quod vocant *Japonzia*. Hoc tanti faciunt, ut puer parvulus cum caligis tale pallium & fundam (inſtar arcus, ſed cum duabus chordis factam) ad tangendam lapide metam, accipiat. Igitur non infacete Perſarum magnus Sciah Abbas vocavit *Schemchal*: *Japonziabun Japonzia* (palliorum pallium) alluſione quadam ad regis Perſarum ſuperbum titulum: *Padeſchiabum Padeſchia* (regum Rex.) Præterea jus hoſpitalitatis religioſe colunt, ut etiam privatus quisque ſuum hoſpitem (Konak vocat) etiam cum periculo vitæ contra omnes aliorum inſultus defendat. Poſſem exempla afferre, ſi hoc nunc agerem. Pecuniam vel nummos non habent, ſed mercantur invicem linteo quodam vix ulnam longo latoque, quod pretio valet 10. oras argenteas, utut aliquando uſu attritum obulum non conſtet. Sic etiam ibi rebus minoris pretii major valor imponi poteſt. Quid utilitatis publica res inde percipere poſſit, me non capere fateor. Circa has oras ſunt plurimæ & diverſæ nationes, ita ut hic & juxta *Tarku*, primariam urbem Tattarorum, ubi *Schemchal* (i. e. Dux illuſtriſſimus) reſidebat, obſervarem ab illis, qui adventabant, fere duodecim idiomata, quorum vocabula quædam annotavi. in quibus fuerunt *Avari* & *Alani*, quos niſi ipſe vidiſſem, ſcire poteram ab hiſtoriis Tattarorum, & a Docto-

ctore Moſe Armeno,qui refert Alanorum quondam Regem cum rege Armenorum Artaxerxe filio Sanatrugi, bellum ad Cyrum flumen geſſiſſe: ubi filius Regis Alanorum captus eſt; ſed prudentia & nuptiis pulcherrimæ ſuæ ſororis Satinices redemtum fuiſſe. Inter ceteros montanos multi ſunt *Judæi*, & præter eos non pauci, qui Moſaicam quidem legem profitentur, ſed a Judæis in religione valde ſunt diverſi,& vel ipſa lingua ab illis diſtincti,ut inter hos & Judæos nec conſuetudine nec moribus convenire poſſit. Si recte memini,vocatur regio,ubi habitant, *Chupa*. Illos in *Tarku* per interpretem alloquebar,cumque interrogarem, an eſſent Judæi; ſtatim hoc negarunt, & ſe *Samaria* huc adductos dixerunt Quod quia mihi convenire videbatur cum 2. Reg. 17:6. quæſivi ab illis, an ſcirent quid illic ſcribatur; reſpondebant: id nobis ignotum non eſt,& recte ſe omnia habent: nam, illis cum locis, quò nos & fratres noſtros tranſtulit rex Aſſyriæ, hæc conveniunt: nec unquam nobis poſtmodum data fuit abeundi libertas. Annotavi aliqua eorum vocabula,quæ alias Tecum communicabo. Cum autem audirem,etiam apud eos in montibus eſſe magiſtros illorum, certe ad illos me rapuiſſet ardor diſcendi, niſi Tattari omnino diſſuaſiſſent: nimirum ſine diſcrimine vitæ id tunc fieri non potuit ob civiles inter Tattaros tumultus. Quid de his judicandum ſit, Tuo,pl. Rev. Benzeli,& aliorum relinquo ſubacto judicio: ſufficit mihi bona fide retuliſſe quæ ab illis ipſis audivi:hoc tamen addam, etiam Tattaros teſtari,hos a Judæis in plurimis diverſos eſſe. Nam quod Judæorum Sacra Mahometanis non omnino peregrina eſſe poſſint, ſatis notum eſt. Verum utrum hi ſoli hic remanſerint, cum ceteri in diſſitas oras abiverint, ſicut habetur IV. Esdræ 13, 40. & ſeq. non meum eſt hoc decernere, maxime cum doctiſſimi de hac profectione diverſa ad huc ſentiant: cæterum exiſtimo propediem forte dari poſſe occaſionem de hiſce in *Caucaſo*, quorum jam nobis mentio eſt, accuratius cognoſcendi. Interim caute agendum erit, ne Judæi cum Iſraelitis confundantur: notum enim eſt, quomodo poſt excidium Hieroſolymorum per omnem terram *Judæi* fuerint diſperſi. Quicquid ſit,ſatis conſtat ex epiſtola Jacobi Cap. I. 1. quæ ad duodecim tribus ſcribitur, etiam compellari eos,qui a Salmanaſſare fuerunt abducti. Et ex 1. Pet. I. 1. quod non omnes Judæi poſt carceres Babylonicos ſint reverſi. Præterea quoniam in Perſide plurimi hodie Judæi ſunt, qui ex Po-

Digitized by Google

lum *Ma dſcyth Ja dſcyth*. Quod olim *Maſcytha* vocati ſunt, etiam *Maſſagetæ*, neſcio cur dubitandum. De *Maſſagetarum* nomine prius ſcripſi: hoc tamen adhuc pace Tua, Cl. *Benzeli*, hic adponam de *Jagog* & *Magog*, vocabula eſſe eadem, & nonniſi particulis *Ja* & *Ma* diverſa: quarum una linguâ Mongalica ſignificat *citerius*, altera *ulterius*; atque ſic per *Jagog* & *Magog* videntur intelligi *Goga*, *Goges* & *Gogita citeriores* & *ulteriores*. Præterea Celeb. Lundius in Not. ad Leg. Upl. exiſtimat *Gog in terra Magog* eſſe *Scytharum regem*, qui habitavit in *Scytha noſtra*, vel *Svithiod*, & latiſſime imperavit, ut etiam eſſet Princeps *Roſſ* i. e. Scythis Araxenis, Meſeck & Tubal. De quibus ſupra in notis aliqua ſcripſi; ſed forte de his alias confabulabimur. Interim *Cl. Verelium* in notis ad Hiſtoriam Hervara optime obſervaſſe conſtat, hos eſſe *Tirkar* & *Aſianos*, qui in Sueciam quondam venerant, cum etiam hodie quosdam ibi vocent *Tirkelu*. Nolo de eorum moribus copioſus eſſe, quos illi tam rigide obſervant, ut nec in minimis ab antiquis eant; neque etiam ſiverint ſuum *Schemchal* a Perſia venientem, cum apud eos eſſem, ſuos fines ingredi, antequam deponeret luxurioſam Perſarum veſtem, & ſibi indueret ſuorum vile pallium, quod vocant *Japonzia*. Hoc tanti faciunt, ut puer parvulus cum caligis tale pallium & fundam (inſtar arcus, ſed cum duabus chordis factam) ad tangendam lapide metam, accipiat. Igitur non infacete Perſarum magnus Sciah Abbas vocavit *Schemchal*: *Japonziabun Japonzia* (palliorum pallium) alluſione quadam ad regis Perſarum ſuperbum titulum: *Padeſchiabum Padeſchia* (regum Rex.) Præterea jus hoſpitalitatis religioſe colunt, ut etiam privatus quisque ſuum hoſpitem (Konak vocat) etiam cum periculo vitæ contra omnes aliorum inſultus defendat. Poſſem exempla afferre, ſi hoc nunc agerem. Pecuniam vel nummos non habent, ſed mercantur invicem linteo quodam vix ulnam longo latoque, quod pretio valet 10. oras argenteas, utut aliquando uſu attritum obulum non conſtet. Sic etiam ibi rebus minoris pretii major valor imponi poteſt. Quid utilitatis publica res inde percipere poſſit, me non capere fateor. Circa has oras ſunt plurimæ & diverſæ nationes, ita ut hic & juxta *Tarku*, primariam urbem Tattarorum, ubi *Schemchal* (i. e. Dux illuſtriſſimus) reſidebat, obſervarem ab illis, qui adventabant, fere duodecim idiomata, quorum vocabula quædam annotavi, in quibus fuerunt *Avari* & *Alani*, quos niſi ipſe vidiſſem, ſcire poteram ab hiſtoriis Tattarorum, & a Do-

cto-

Digitized by Google

ctore Moſe Armeno, qui refert Alanorum quondam Regem cum rege Armenorum Artaxerxe filio Sanatrugi, bellum ad Cyrum flumen geſſiſſe: ubi filius Regis Alanorum captus eſt; ſed prudentia & nuptiis pulcherrimæ ſuæ ſororis Satinices redemtum fuiſſe. Inter ceteros montanos multi ſunt *Judæi*, & præter eos non pauci, qui Moſaicam quidem legem profitentur, ſed a Judæis in religione valde ſunt diverſi, & vel ipſa lingua ab illis diſtincti, ut inter hos & Judæos nec conſuetudine nec moribus convenire poſſit. Si recte memini, vocatur regio, ubi habitant, *Chupa*. Illos in *Tarku* per interpretem alloquebar, cumque interrogarem, an eſſent Judæi; ſtatim hoc negarunt, & ſe *Samaria* huc adductos dixerunt Quod quia mihi convenire videbatur cum 2. Reg. 17: 6. quæſivi ab illis, an ſcirent quid illic ſcribatur; reſpondebant: id nobis ignotum non eſt, & recte ſe omnia habent: nam, illis cum locis, quò nos & fratres noſtros tranſtulit rex Aſſyriæ, hæc conveniunt: nec unquam nobis poſtmodum data fuit abeundi libertas. Annotavi aliqua eorum vocabula, quæ alias Tecum communicabo. Cum autem audirem, etiam apud eos in montibus eſſe magiſtros illorum, certe ad illos me rapuiſſet ardor diſcendi, niſi Tattari omnino diſſuaſiſſent: nimirum ſine diſcrimine vitæ id tunc fieri non potuit ob civiles inter Tattaros tumultus. Quid de his judicandum ſit, Tuo, pl. Rev. Benzeli, & aliorum relinquo ſubacto judicio: ſufficit mihi bona fide retuliſſe quæ ab illis ipſis audivi: hoc tamen addam etiam Tattaros teſtari, hos a Judæis in plurimis diverſos eſſe. Nam quod Judæorum Sacra Mahometanis non omnino peregrina eſſe poſſint, ſatis notum eſt. Verum utrum hi ſoli hic remanſerint, cum ceteri in diſſitas oras abiverint, ſicut habetur IV. Esdræ 13, 40. & ſeq. non meum eſt hoc decernere, maxime cum doctiſſimi de hac profectione diverſa ad huc ſentiant: cæterum exiſtimo propediem forte dari poſſe occaſionem de hiſce in *Caucaſo*, quorum jam nobis mentio eſt, accuratius cognoſcendi. Interim caute agendum erit, ne Judæi cum Iſraelitis confundantur: notum enim eſt, quomodo poſt excidium Hieroſolymorum per omnem terram *Judæi* fuerint diſperſi. Quicquid ſit, ſatis conſtat ex epiſtola Jacobi Cap. I. 1. quæ ad duodecim tribus ſcribitur, etiam compellari eos, qui a Salmanaſſare fuerunt abducti. Et ex 1. Pet. I. 1. quod non omnes Judæi poſt carceres Babylonicos ſint reverſi. Præterea quoniam in Perſide plurimi hodie Judæi ſunt, qui ex Po-

Digitized by Google

lonia illuc deducti fuerant,non alienum forte erit narrare, ut hoc factum ſit. Scilicet Ruſſi olim irruptione in Lituaniam & Poloniam facta plurimas familias Judæorum inde abſtulerant,quas Patriarcha omni modo voluit adigere ad religionem Chriſtianam Ruſſorum amplectendam:quod cum multæ ſe facturas obſtinate pernegarent, ad ignem damnabantur. Verum accidit, ut quidam Myrſa ex Circaſſia,Knes Casbolat Muſalovitz,ibi eſſet qui pro ſtipendio,quod ipſi debebatur,hos Judæos ſibi dari poſtulavit. Id ut facile obtinuit,omnes ſecum in Circaſſiam abſtulit,atque ſingulos Turcis, Tattaris, Perſis ita divendidit, ut conjuges a ſe invicem & liberi a parentibus diſtraherentur. Verum illi, quâ ſolertia neſcio, intra breve tempus ſe a ſervitute non ſolum redemerunt,atque in libertatem vindicarunt; ſed etiam qui a ſuis ſeparati fuerant, iterum coiverunt, atque ſic in Perſiam abierunt, ubi ſuorum ſacrorum cultum eſſe liberum ſciverant. Jam in Gilania (Hircania) & alibi paſſim vivunt ex opificiis & mercatura. Poloniæ tamen non obliviſcuntur, cujus laudes a majoribus audiverant. Hæc ex relatione habeo legati noſtri, nobiliſſimi Domini *Ludovici Fabritii*, qui ipſe juvenis fuerat captivus apud Tattaros Dageſtanos, poſtquam ſingulari Dei gratia elapſus fuit e manibus Coſackorum rebellium ſub Hattemanno Stephano Razin, atque præſentiſſimam mortem evitavit in ipſo loco, ubi plurimi Germani militiæ præfecti, in his ejus vitricus, a Coſackis trucidati ſunt, idque fide & ope militis cujusdam Ruſſi: qua de re habetur etiam in Happelii relationibus curioſis narratio. Deinde poſt errores in Perſia, cum in Sueciam veniſſet, tribus vicibus legati munus cum laude in Perſia obiverat, qui etiam, ſi vires ſeni fuerint, plurima Tibi, Ampliſſime vir, memoria maxime digna narrare non recuſabit. De ceteris nationibus diverſis, quæ Caucaſum inhabitant, jam dicere ſuperſedeo, etſi earum maximam partem nomina & religiones atque linguas notata habuerim. Sed ad vicinos illarum *Circaſſos* pergo, de quibus jam ſupra ſcripſi, *Zigæos* olim dictos, unde forte vagabunda plebs *Zigana*. Apud hos plurima exſtant templa, ſed deſolata; cum antea Chriſtiani fuerint, ſed jam neſciant quam religionem habeant. In illis templis plurimi deliteſcunt libri, maximam autem partem eccleſiaſtici. Hi etſi Tattarice fere omnes ſciunt loqui, quoniam *Chano* Crimenſi ſunt ſubjecti, peculiari tamen inter

ter ſe utuntur lingua, & Ruthenice pauciſſimi intelligunt. Si plura de his locis ſcribere vellem, & tempus deficeret, & epiſtolæ modum excederet. Vellem aliquid addere de Maris Caſpii *inſulis*, *natura* nec non *vortice*, qui aquas illius recipere & abſorbere dicitur; Sed hæc melius patebunt ex Charta Geographica, quam propediem, ſi Deus velit, edere conſtitui. Legitur etiam Alexandrum magnum diſputaſſe de illarum aquarum effluxu. Eſt enim mirum, cum tot flumina, eaque maxima, in hoc mare influant, quid de illis tandem fiat, cum nullus pateat exitus. Scio nuper quendam in ea opinione fuiſſe, atque rationibus ex principiis phyſicis & Mathematicis oſtendere voluiſſe: Evaporationes tantum aquarum auferre, quantum flumina infundunt. Sed etiam de his aliàs. Ad orientalem maris partem, ubi Cingis-Chani poſteri & Tamerlanes olim ſedes habuere, ſunt Tattari *Usbecbi* & *Zagathaii*, de quorum nominum origine vide iterum hiſtoriam *Abulgaſi-Chani*. Regnum jam diviſum eſt præcipue inter *Bochavos* & *Kivenſes* ſive *Carisminos*. De antiquiſſimis harum regionum incolis conſtat aliunde. Per has regiones labitur inter plurima alia flumina, quæ ſe in mare Caſpium exonerant, etiam illud Ruſſis dictum *Daria*, Tattaris *Kezelzu* (quo ſignificatur *rubra vel aurea aqua*, cum *Daria*, Tattarice nomen ſit commune) Antiquis forte fuit *Jaxartes*. Hoc ne ſe effunderet in mare Caſpium, vallis ſive aggeribus obſtruxerunt incolæ, & aquas deduxerunt in lacum quendam proximum a ſeptentrione. Qua de cauſſa hoc factum ſit, non hic narrrare opportunum videtur, præſertim cum ad manus habeas quæ prius de illis ſuperiori anno rebus ſcripſeram, & præterea ipſe probe ſcias antiquorum itinera in Indiam & alias partes orientales. *Aſtrachanum* etiam hodie ex India veniunt ſemper mercatores, qui *Moltani* dicuntur, & ſuam religionem a Calmuckorum non multum diverſam ſtricte obſervant. Sunt cetera homines vitæ genus antiqua fide & probitate.

Ceterum de diverſis in *Tattaria Magna* nationibus, regionibus, fluminibus &c. quæ hactenus vel incerta vel ignota fuerunt, egregiam notitiam in captivitate ſibi pararunt noſtri, præſertim viri nobiliſſimi *Schönſtröm* & *Tabbert Stralenberg*, qui hæc omnia charta geographica ſtudioſe deſcripſerant; & præterea hiſtoriam Tattaricam ſumtibus non levibus transferri a Tattarico manuſcripto curate fecerunt. Ut autem in ſuſcepto labore perſiſterent, non intermiſit omni modo eos imprimis adhortari Senator jam

re-

regni Excellentiſſimus Liber Baro *Joſias Cederhielm*. Et hæc eorum ſcripta ut jam in lucem publicam veniant, per Te, Plur. Rev. Benzeli, jam alii egregii viri accurare volunt. Sed quod potiſſima *Aſia ſeptentrionalis* pars ab Europæis jam dicatur *Tattaria magna* a Tattaris præcipue, eo forte modo fit, quo apud Aſiaticos omnis *Europa occidentalior* vocatur *Frankeſtan* a Francis; quos jam ab expeditionibus cruciaticis Aſiæ populus præcipue cognitos ſibi habuerat. Antequam tamen ad alia pergam, hoc annotare volo: Tattaros circa *Aſtrachanum* & ulterius vocari ſolere *Nogai*; ſed id nomen eſt commune; & diverſis epithetis adſtringitur ad diverſas nationes; ſicut etiam vocabulum *Etel*, quo fl. *Volga* a Tattaris appellari ſcribitur, etiam omnibus magnis fluminibus communiter datur, quæ non niſi adjectis propriis nominibus diſtingui poſſunt. Præterea pars *Czircaſſia* & ceteræ oræ circum paludem Mæotidem Turcis & Tattaris dicuntur *Kipſak*, quare fit, ut hoc vocabulum in titulo *Sultani* Turcarum aliquando habeatur. Neſcio an hoc addam, quod nullam gentem in illis oris ubi fueram, obſervaverim, inter ſalutandum aperire caput juxta morem Europæorum, præter *Czircaſſos* & *Dageſtanos Tattaros*, cum nec Tattari in Ruſſia hoc ſponte faciant. Unde id in more habeant, alias dicam. Annotare cœpi quosdam ritus, qui adhuc apud orientales obſervantur, quos vel apud auctores, vel in ipſa Sacra Scriptura inter legendum indicatos inveneram. Hos, cum tempus permiſerit, habebis.

De *Calmuckis*, qui ſe ipſos etiam *Eblöt* vocant, aliquid mihi ſcribendum eſſet, quoniam apud eorum *Ajuka* (principem) binis vicibus fui, & eorum mores atque ſacra vidi. Notum etiam mihi eſt, quo pacto Ruſſis ſint obnoxii. Verum hæc deducere jam non convenit. Pauciſſimis de Taurica Cherſoneſo mentionem faciam. Hæc vocatur etiam *Perekop*, quod derivatum videtur a *Perikapai*, hoc eſt *perfodere*, nam foſſa jam olim duci cœpta eſt ad introitum peninſulæ. Verum an res ita ſe habeat, non auſim affirmare, cum hoc Sclavonicum ſit vocabulum. Præterea *Krim* dicitur; & ſignificare id videtur *locum munitum*, ſic enim quoque arx *Muſcoviæ* fere vocatur. Sed vero ſimilius videtur *Krim* nomen traxiſſe ab emporio antiquiſſimo circa paludem Mæotidem, quod vocatum eſt *Kremni*: verba Herodoti, ſummus Vir Rudbeckius Atl. T. I C. X. adfert & accurate explicat. Scripſit Cl. Busbequius horum Tattarorum linguam convenire cum Germanica, & quædam vocabula annotavit. Sed quilibet, qui ſcit Tattarice, hoc non ſic eſſe intelligit;

Digitized by Google

git; de lingua tantum Tattarica loquor. Nam ſi illic ſuperſint adhuc, vel coloniæ Germanorum vel reliquiæ Gothorum, certè non magis ſunt Tattari hæ quam Tattari in Ruſſia, Muſcovitæ. Et neſcio utrum ad legationes & publica negotia admittantur, niſi fuerint proſelyti Tattarorum vel *Mamlucki*. Satis hoc conſtat has regiones & vicinas olim habuiſſe Scythas, idque ſaltem ex *Herodoto* & *Cornelio Nepote*, præſertim ubi de expeditione Darii contra Scythas, a quibus premebatur, fit mentio. Getas etiam ibi habitaſſe nemo facile inficias ibit. Legantur Ovidii Naſonis libri Triſtium & epiſtolæ a Ponto. Ceterum circa Tanaim & Boriſthenem ſunt Colles ſepulcrales (åttebackar) quales hic in Suecia habemus; & non tantum ibi, ſed etiam in provinciis circa urbem Moſcoviam proximis; atque abinde ad meridiem fere ubique, præſertim in locis natura & ſitu amœnioribus. Ad orientales vero oras non ſic inveniuntur. Utrum hæc ſint monumenta *Scytharum* & *Getarum*, rurſus aliis judicandum relinquo; ut & quæ loca Scythæ innuant, reſponſione ſua Dario data, cum eos interrogare feciſſet: *cur ſemper fugerent, & non gradum tandem ſiſtere vellent*: Dixerunt enim: *fugiemus ſemper usque dum ad majorum noſtrorum ſepulcra deventum fuerit; tunc videbis, rex Dari, ut Scythæ pugnare ſolent*. Quæ tunc in illis oris habuerint Scythæ ſepulcra, ſi hæc vel alia fuerint, non meum eſt decernere. Præterea narrarunt mihi Viri fide digniſſimi, qui cum Ruſſorum exercitu ante plures annos ad *Krim* occupandam abiverant, quod in deſertis ante *Cherſoneſum* ſint ſtatuæ lapideæ admodum antiquæ: ſed a quibus gentibus fuerint poſitæ, adhæc, an inſcriptiones aliquas, & quales haberent, ignorarunt.

Celebriores Coſacki circa *Boriſthenem* & *Tanaim* ſuas ceperunt ſedes. Horum hiſtoriæ etſi ſunt pervulgatæ, tamen quid de origine nominis *Coſack* a rerum expertis didicerim, paucis exponam. *Coſack* ſignificat *hominem liberum & ſui juris, qui nulla ſervitutis lege eſt alicui addictus* (licet de ipſa origine vocabuli varie dicatur.) Inde apud Ruſſos & Polonos ſi manumiſſus fuerit ſervus, dicit gloriabundus ſe jam eſſe *Volnoi Coſack* i. e. *libertinum Coſackum*, quare fit ut etiam illi, qui ſeſe quocunque modo, licet invitis Dominis in libertatem vindicaverint, ſe vocent *Coſack*. Atque cum plurimi tales ſocietatem fecerant, ſedes ſibi eligunt ad quædam flumina, a quibus deinde nomina capiunt, ut *Jaiikſi* Coſacki, *Grebenski* Coſacki, *Agara kanski* Coſacki &c. qui ad mare Caſpium habitant. Hi aliquem ex ſuis eligunt ſibi ducem, quem *Hatteman* vocant (quod ve-

nit ab *Atta*, pater, qui etiam Ruſſica lingua dicitur *Attees* ſive *Batuſka*. Quomodo talis eligatur, & qua in ſuos ſit poteſtate; atque viciſſim, ut a faſtigio, cum viſum ipſis fuerit, removeatur, nunc non attinet dicere. Verum ſi prudens fuerit, ſi fortis & ad excurſiones utiles impiger, honore & amore maximo illũ proſequuntur. Longe tamen nobilius vitæ genus & magis exculta converſandi ratio, ut & politicæ conſtitutiones literarumque ſtudia apud eos Coſackos, qui juxta Boriſthenem habitant, inveniuntur. De his ſatis notum eſt, quomodo primum ſub Polonis fuerint, deinde ab illis oppreſſi, petiverint Ruſſorum protectionem. Horum regio ut & vicina vocatur *Ukrain*, i. e. limes vel margo regni. Hos attingunt *Zoporowski* Coſacki, quod nomen acceperunt a ſcopulis in oſtiis Boriſthenis. Sed *Coſacki* ad Tanaim a quibusdam vocantur *Circaſſi*, non quod ſint illi, de quibus ſupra dictum, vel ex eorum natione; ſed ab oppido nomen habent, in quo eorum *Atteman* habitat. Etiam apud Tattaros in more eſt, illos etiam qui ſe a ſocietatibus quibusdam ſegreges faciunt, ſe vocare *Coſackos*; ſed tunc hoc titulo volunt habere nobilioris ordinis & aliquid ſimile affectant ac *equites* in Europa *Maltenſes* & alii.

Jam epiſtola finienda eſſet: Verum cum me *Ruſſia* tot annos detinuerit, illius prorſus oblivisci nequeo, potiſſimum cum plurimi ibi ſint, qui omni benevolentia mihi etſi captivo auxilia in tot calamitatibus præſtiterant: Quorum nomina gratiſſima memoria ſemper venerabor.

Hæc *gens Ruſſorum*, quæ jam ſub Czareæ Majeſtatis imperio multis aliis nationibus dominatur, eſt origine *Slavonica*, & non ex primis incolis harum regionum, ſed demum circa ſeculum VIII. has oras ingreſſa, quæ etiam non multo poſt religionem Chriſtianam recepit, quam inde ad hæc tempora conſtanter ſervavit. Hæc omnia in ſuis hiſtoriis accuratius, ipſa, quam omnes exteri, deſcripta habet; atque ſic quæ vel ad ejus laudem, vel antiquam regni Ruſſici ſtatum, præſertim ſub ducibus diverſorum Ducatuum poſt magnum ducem & Czarum Voladimer, pertinent, in illorum libris ſatis exacta invenitur narratio. Verum quis populus, & quæ gentes, ante *Sclavos*, vaſtas illas regiones habuerint, non ſatis conſtat. Igitur quantum potui & licuit operam dedi, ut de illis ſaltem aliqua reſcire poſſem. Tattaros quidem in *Siberia*, ad *Volgam*, ad *Occam* flumina, & præterea latiſſime in hoc regno ſua habuiſſe regna notiſſimum eſt. Sed hi non ſunt ex antiquis hujus

Digitized by Google

us terræ colonis, cum poſt *Cingis Chani* demum tempora ſe huc promoverint. Igitur ante Sclavorum adventum, & Tattarorum incurſiones, quærendi ſunt indigenæ. De his autem vix aliquid veri habebitur, niſi forte ex converſationibus & colloquiis cum illis nationibus, quæ ibi plurimæ ſunt, & nihil adhuc niſi Ethniciſmum & idolatriam ſapiunt, occaſio quædam data fuerit, divinandi quaſi in priſcos harum terrarum cultores. Hoc agere, illic locorum, quo me fata traxerunt, non neglexi; nec aliquis noſtrûm, ubi eſſe ipſi captivo contigerit, id ipſum facere prætermiſit. Eſt propterea apud plurimos noſtrates, ſatis copioſa congeries multorum vocabulorum, religionum, rituum &c. quæ apud diverſas linguis & moribus in Ruſſia gentes reperiuntur. Atque inter cetera maxime mirum, quam variæ ibi ſint ſpecies idololatriæ, & quanto zelo ejus unusquisque cultor, ſuam ſtultitiam adverſus alterius deliria defendat; ut ad odia ſi non cruenta, tamen perennia, deventum ſit; cum vicini in proximis pagis mutua non utantur conſuetudine, & vincula conjugii & affinitates inter ſe detrectent. Sed hæc deducere & tempus & epiſtolæ conditio non permittunt. Pauca tamen adnotabo de quibusdam antiquioribus nationibus illic locorum.

Czeremiſſi, qui ſe ipſos etiam *Mari* appellant, atque quidam alii, adhuc multa a Fennicæ linguæ dialecto habent. *Deum* vocant *Jumala*, & more Fennorum *numeros* recenſent, cetera autem idololatræ: de quorum religione & ritibus de hinc dicendum forte erit.

Suiaſkis, Deus, *Thor* dicitur, ut apud antiquos noſtrates. Sunt quoque alii, qui huic *Thoro* genium quendam ſed malum addunt, quem vocant *Seithan*, cujus effigiem nonnemo ex noſtratibus habet. Hoc nomen antea putavi ab Ebræo *Satan* venire; ſed cum in antiquiſſimo ethnicismo mentionem etiam nominis *Seithan* inveniam, aliter ſentiendum exiſtimo.

De *Morduanis*, *Vatiakiis* & plurimis aliis, quos ne recenſere quidem jam vacat, alias confabulabimur. Plurimorum collecta apud me vocabula ſervo. Unicum adferam: *potus*, qui apud Europæos jam in uſu maxime eſt, vocatur, uti notum, *cereviſia*. Hoc Latinum non eſſe vocabulum omnes Latini fatentur, etſi per alluſionem dici poteſt quaſi *Cereris vis*; ſed eſſe *Scythicæ* originis, plurimi ſcribunt. Inter hos Barbaros inveni multos, qui hunc potum appellant *Sra*, *Sera* vel *Cera*; an ab hoc nomine deduci poſſit nomen cereviſiæ, critici judicent.

Digitized by Google

Præterea in Ruſſiæ quadam regione fuiſſe olim *Ungaros*, apud omnes hiſtoricos fere certum habetur, ſed in qua ſedes habuerint non conſtat. Verum cum antiquitus dicti ſint *Ugri* vel *Jubri*, inde forte patebit eos a *Juberia* vel *Jugoria*, provincia adhuc in Ruſſia Septentrionali notâ, imprimis exiviſſe. Nam ante Sec. IX. eorum nomen apud hiſtoricos vix invenitur. Dixit mihi doctiſſimus quidam Ungarus in Ruſſia, ſuam nationem ab hac *Juberia* ſua habere exordia, cum earum linguæ inter ſe convenirent.

Deinde *Bulgaros* vel *Volgaros* ad fl. *Volgam* olim habitaſſe non videtur dubium; An autem illi nomen dederint flumini, vel flumen illis, non dum mihi innotuit. Hoc certum eſt, Metropolitam Caſanenſem ſe etiam hodie vocare epiſcopum *Bolgarenſem*.

Cæterum, quomodo regiones Ruſſiæ, noſtri antiqui Scriptores appellaverint, ipſe, Pl. Rev. D:e Doctor, optime ſcis, cum ſatis bene illarum terrarum tractus deſcribant. Finni autem noſtri adhuc *Ruſſiam* vocant *Vänänma*, & *Ruſſum Vänäläinen*: qua de cauſâ notum eſſe puto. Sed quæ regio proprie ſit dicta *Sarmatia*; & unde hoc nomen ortum ſit, non volo nunc meam opinionem dicere, ne vel tu, Pl. Rev. Vir, vel alii tui ſimiles docti, arma contra me capiatis, antequam poſſim colligere & diſponere rationes meas. Ad Ruſſicam gentem revertor. Hæc, in ſua lingua etiam hodie multa habet Latina vocabula; ſed literas, eam accepiſſe cum religione a Græcis conſtat; nam Characteres, quibus huc usque uſi ſunt in libris præcipue eccleſiaſticis, convenire videntur cum illo alphabeto, quod in deſcribenda ſeptuaginta interpretum verſione Sancta *Hecla* adhibuerat.

Tandem, nec me ſcribendo, nec te Pl. Rev. Dn. Doctor, legendo, diutius defatigabo; Sed prolixæ epiſtolæ jam finem imponam. Hoc autem, Ampliſſime Vir, te rogatum volo, ut mirari nolis, ſi hæc qualiacunque, quæ jam Tibi mitto, minus concinnè & Latinis auribus minus congruè, atque ſine ordine ſcripſerim: adeó, ut invenias, plurimum ſermonis, eloquentiæ parum ſcis enim probè, jam me plus temporis perdidiſſe in dediſcendis litteris, quam in illis addiſcendis unquam olim poſuerim. Præter ea veniam peto, ſi in plurimis lapſus fuerim; è memoriâ enim ſola maximam partem depromere neceſſum habui. Cæterum non eſt, cur me vel gratiæ tuæ, vel amicitiæ commendem, ſatis jam tot annos de Tuo erga me animo certus. Faxit tantum Deus, ut valeas: & bene erit. Scribebam Holmiæ Ao. 1723 d. 8. Oct.

HENR. BRENNER.

Digitized by Google

Digitized by Google